UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Valentini Mangioni Per Vsini E Societate Iesv, In Signatura Sacra Pœnitentiariæ S.D.N. Papæ Consultoris Theologi De Religiosa Pavpertate non excludente rerum Dominium nec Ius testandi Opvscvlvm ...

Mangionius, Valentinus

Coloniæ, 1639

urn:nbn:de:hbz:466:1-63077

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. 1
23. Th. 4820.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

VALENTINI MANGIONII

PERVSINI

E SOCIETATE IESV,

In Signatura Sacræ Pœnitentiariæ

S. D. N. PAPÆ *Consultoris*

Theologi,

DE

RELIGIOSA PAVPERTATE

non excludente rerum Dominium

nec ius testandi,

OPVSCVLVM QVINQVEPARTITVM.

Collegij Societatis Iesu.

Paderbornæ. 1661.

COLONIÆ,

In officina Birckmannica, sumptibus Hermanni Mylij.

ANNO M. DC. XXXIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO, D. MARTIO CARDINALI GINETTO

S. D. N. VRBANI PAPÆ VIII. & Apostolicæ Sedis DE LATERE LEGATO.

DVm Tu Coloniæ Agrippinæ Consilia ineundæ Pacis, & Concordiæ Catholicos inter Principes agitare non desinis; Ego ibidem Pugnas, & Certamina meditari cogor. Cogor, inquam. Cum enim per hosce Menses sparsa fuerint in vulgus anonyma quædam scripta, quibus & Societatis nostræ, & SEDIS APOSTOLICÆ Constitutionibus, non

solùm sententijs, sed etiam verbis aperta vis infertur; debui Naturæ suasu, & Moderatorum meorum iussu iniuriam propulsare. Conatus sum sub Auspicijs Tuis EMINENTISS. LEGATE, *bonâ spe fretus, fore Te non minus Publicæ Pacis, quàm priuati huius certaminis Arbitrum æquissimum iuxta, ac felicissimum. Sic voueo*

EMINENTIÆ TVÆ REVERENDISS.

Humillimus ac Deuinctiss.
Seruus

VALENTINVS MANGIONIVS
SOC. IESV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIONES.

SErenissima Sua Celsitudo FERDINANDVS Archiepiscopus Coloniensis, S. R. I. Princeps Elector, Dominus noster Clementissimus &c. Visis sententijs specialiter deputatorum Censorum; dat, & concedit Facultatem, vt opusculum P. Valentini Mangionij Soc. IESV De Religiosa Paupertate, non excludente rerũ Dominium, nec Ius testandi, typis mandari possit, cum contra fidem Catholicam, aut bonos mores nihil contineat. Sign. Bonnæ 4. Februar. 1639.

FERDINANDVS.

Locus Sigilli.

EGO *Gosvvinus Nikel Societatis* IESV *Prouinciæ Rhenanæ inferioris Prouincialis, potestate ad id mihi facta ab adm.* R. P. N. Mutio Vitelleschi Præposito Generali; *facultatem concedo, vt Opusculum* De Religiosa Paupertate *non excludente rerum Dominium &c. scriptum à* P. Valentino Mangionio, *& grauium Doctorumq; Virorum eiusdem Societatis iudicio approbatum, typis euulgetur. In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas, & solito sigillo munitas dedi. Coloniæ* 30. *Ianuar.* 1639.

COSVVINVS NIKEL m.p.

Locus Sigilli.

INDEX
Singularum Partium.

I. CONSVLTATIO. *An qui in Societate* IESV *absoluto Nouitiatu faciunt Vota simplicia substantialia Religionis, amittant rerum Dominium & Ius testandi.*

II. *Pro Voti solemnitate ex solâ Ecclesiæ Constitutione inuentâ; nec non pro Censurâ Propositionis oppositæ.*

III. AVCTARIVM, *quo Epopsis Consultationis Mangionianæ euertitur.*

IV. *Epopsis Consultationis Mangionianæ vberius confutata.*

V. *Appendix Iudiciorum, ac Sententiarum variorum Tribunalium, atque Academiarum pro Dominij retentione.*

SYNO-

SYNOPSIS.

Prior Numerus Opusculi partem, posterior cuiusq; partis paragraphum notat.

IN Religione Societatis IESV præter Nouitios, & Professos sunt quidam, qui Scholares appellantur. Hi, licet absoluto Nouitiatu per Vota simplicia, quæ emittunt, fiant verè ac propriè Religiosi; per Constitutiones tamen ab Apost. Sede confirmatas, retinent ad tempus bonorum suorum Dominium, sed ita, vt in eorum vsu religiosam seruent Paupertatem. l. 3.

Hanc veritatem probarat auctor huius Opusc. primâ Parte.

Primò ex Constitutionibus Societatis Part. 6. c. 2. §. 11. lit. H. Part. 4. c. 4. lit. E. Part. 3. c. 1. §. 7. lit. F. Exam. general. c. 4. §. 1. & 5. in quibus locis de huiusmodi Scholaribus dicitur, *Quòd possint retinere bona stabilia. v. g. domos, & res alias*, quibus postea se abdicent, *quandocunque Superiori videbitur: quod quamuis Paupertatis Votum sit emissum; bona tamen temporalia haberi possint ad certum vsque tempus, quod videbitur Superiori: quod non sit necesse bonorum suorum possessione se abdicare, nisi id Superior post elapsum primum annum iuberet.* l. 10. & seqq.

Secundò ex duabus Constitutionibus GREGORII XIII. quarum vna incipit. *Quãto fructuosius*: altera. *Ascendente Domino.* l. 24. 25. 26.

Tertiò ex obseruantiâ subsecuta per spatium annorum ferè centum. l. 27.

Quartò Ratione, cuius summa est. quia Vc-

tum Paupertatis non habet ex natura sua, vt priuet Iure & Dominio bonorum temporalium, vel eiusdem capacitate: neque ex Iure diuino positiuo, quasi cum statu Religioso sit incompossibile Ius & dominium rerum temporalium: Sed hoc habet solùm ex Iure Ecclesiastico, à quo etiam solo inuenta est Votorum solemnitas. Quare sicut Ecclesia adiunxit Voto Paupertatis Religiosæ incapacitatem dominij; ita potuit admittere tanquam Vota substantialia Religionis, Vota simplicia, quæ faciunt Scholares in Societate: & nihilominus illis non adiungere dominij incapacitatem, sicut de facto non adiunxit. I. 31. & seqq.

Inuenti sunt tamen quidam Anonymi, qui tam benè fundatam veritatem oppugnarint. Summa autem eorum omnium, quæ isti scripserunt, duobus capitibus constat. Primò enim conantur respondere rationibus allatis, deinde varia afferunt Argumenta, quorum aliquibus contendunt, à Scholaribus Societatis non retineri dominium; quibusdam, non posse condi; nonnullis, non posse reuocari Testamentum ante factum. I. 1. 2. 3.

Ad textus ergò Constitutionum Societatis, & duarum Bullarum GREGORII XIII. triplex affertur ab illis Anonymis responsio. Prima est, quod dicitur, Scholares Societatis post Vota retinere bonorum suorum dominium, esse accipiendum de *Dominio passiuo*, hoc est, de capacitate recuperandi bona, quorum dominium, &

Ius

Ius amissa erant per Vota in casu, quo à Societate dimittantur. I. 5.6.7.

Secunda responsio est, esse intelligendum de *Dominio in Communi*, respectu bonorum Collegij, cuius Scholares membra sunt post emissa Vota.

Neutram interpretationem congruere textibus allegatis, euidenter ostenditur. I. 11. vsque ad 27. & omnes eos textus debere intelligi de dominio actiuo particulari propriorum bonorum, clarissimè demonstratur. ibid.

Tertia responsio est, retineri quidem *Dominium actiuum particulare* propriorum bonorum: non tamen semper, nec ab omnibus Scholaribus: sed solùm aliquando, & à quibusdam, cum quibus (dummodo adsint iustissimæ causæ) dispensatur, vt dominium eiusmodi retinere possint.

Non subsistere hanc interpretationem, nec esse opus vlla dispensatione in Constitutionibus Societatis, vel Iure diuino; & vniuersaliter omnibus Scholaribus concedi per Constitutiones dominij retentionem, semperque adesse causas iustas, ob quas retineri debeat idem dominium; ostenditur. IV. 151. 162.

ARGVMENTA ADuersariorum.

I. ARgumentum ducunt ab Auctoritate Sanctorum & Doctorum, qui docent,

Religiosum nihil possidere posse, nullius rei habere dominium, nullius iuris rerum temporalium capacem esse: Paupertatem Religiosam excludere ius omnium bonorum temporalium, & similia Respondetur, id esse intelligendum de Votis solennibus: non autem simplicibus, nec pugnare Dominium cum substantia Voti Religiosi. I.43.

II. Ex auctoritate aliquorum Doctorum, qui videntur docere, Scholares Societatis non habere vllum *dominium particulare actiuum*. Confutatur, clarè ostendendo, illos Doctores non fuisse locutos de *dominio actiuo particulari* propriorum bonorum, sed de dominio bonorum, Collegiorum Societatis, licet etiam in hoc errauerint. III. 1. & seqq.

III. Quia Solemnitas Votorum Religiosorum est de Iure Diuino. Vnde nec Summus Pontifex potest dispensare, vt quis sit Religiosus, & habeat proprium. Demonstratur fusissimè contrarium, hoc est, solemnitatem in Votis & consequenter vim priuandi dominio & capacitate Matrimonij, esse ex solâ Ecclesiæ constitutione inuentam. tota 2. Parte huius Opusculi; Id verò, quod dicitur, Papam non posse dispensare in *Proprietate*, esse intelligendum non de dominio radicali, sed de vsu independente à consensu Superiorum. I. 42.

IV. Quia Vnitas status Religiosi consistit in identitate, & in inuariabili substantia Votorum solem-

ſolemnium. Demonſtratur falſitas huius Aſſer-
tionis.I.44.

V. Quia priuatio vſus bonorum propriorum, cum radicali dominio eorundem, ſtat cum ſtatu diuitiarum: qui directè contrariatur Paupertati. Reſpondetur diſtinguendo de priuatione Vſus. Si enim ſit perpetua; non ſtat cum ſtatu diuitiarum, quæ ſolùm expetendæ ſunt propter Vſum: nec contrariatur Paupertati.I.47.

VI. Quia Vſus bonorum temporalium non opponitur Paupertati religioſæ, vt patet in Epiſcopis aſſumptis à ſtatu Religioſo, qui habent Vſum bonorum temporalium, & tamen ſunt Pauperes. Hoc argumentum retorquetur. I.49.

VII. Ducitur ab abſurdis. Primum eſt, quia ſi Scholares retinerent dominium, ſine vſu; hoc dominium eſſet inutile & imaginarium. Oſtenditur non eſſe inutile.I.50.IV.82.& ſeqq.

Secundum abſurdum, quia ſi Scholaris retinet dominium ſine vſu; per emiſſionem Votorum decedit partim teſtatus, partim inteſtatus. Reſpondetur, non decedere vlla ex parte teſtatum neque inteſtatum, & declaratur quomodo per Vota nihil iuris amittat in ſua bona temporalia.I.51.IV.90.& ſeqq.

VIII. Affertur ex Iure Societatis. & primo, quia omnibus Scholaribus eadem eſt viuendi ratio poſt vota. Viuere enim debent in communi: ergò nihil habent proprij. Huius argumenti vanitas

tas ostenditur clarando, quid sit viuere in communi post vo. .53.

Deinde, quia in Societate Votum simplex Castitatis reddit incapacem Matrimonij: ergò Votum Paupertatis facit incapacem Dominij. Affertur disparitas. quia illud habet Votum Castitatis ex Constitutione Ecclesiæ: hoc verò non habet Votum Paupertatis, ipsa Ecclesia sic declarante I.55.

Postremò, quia Votum simplex Paupertatis Coadiutorum formatorum priuat dominio & eius capacitate: ergò etiam Votum simplex Scholarium. Affertur eadem disparitatis ratio. I.57.

Ad hæc probant, post Vota Scholares non posse testari varijs argumentis.

Primum est, quia non retinet dominium particulare ad testamenti erectionem prorsus necessarium. Hoc argumentum satis refutatum est ex demonstratione contrarij. IV.76.

Secundum, quia testamentum, quod propter factum hæredis instituti reuocari non potest, nullius est momenti: talia sunt testamenta Scholarium in Societate, qui sine consensu Superiorum nihil possunt. Huius argumenti infirmitas ostenditur. IV.73.

Tertium est à contrario sensu, quia in Societate ante ingressum licet testari, & Nouitijs: ergò non post ingressum, nec Scholaribus, Refutatur ostenditurque quàm sit futile. IV.96.

Quar-

Quartum ; quia Testamentum non potest pendere à Voluntate alterius ex varijs textibus. Vera intelligentia eorundem textuum affertur. nihil enim aliud volunt, nisi quòd nominatio hæredis non potest conferri in arbitrium alterius. III. 39. & seqq.

Quintum, quia Scholares vtpote Religiosi, non habent nec velle nec nolle. Probatur hoc non obstare, si accedat consensus Superiorum. IV. 104. & seqq.

Restant duo argumenta, quibus contendunt, Scholares non posse reuocare testamentum factum ante ingressum Religionis.

Primum est *ex c. 4. Examinis Generalis*, vbi iubentur omnes ingressi Societatem, non reuocare testamentum factum : & per ipsum ingressum fieri irreuocabile. Ostenditur falsitas huius argumenti. IV. 8. & seqq.

Confirmant idem ex Ordinatione quadam Præpositi Generalis, quâ iubentur Scholares se rerum temporalium dominio, quantocyus abdicare. Clarè demonstratur per illam ipsam Ordinationem retineri posse dominium, etiam post vota per duos annos. III. 26. IV. 73. & seqq.

Secundum argumentum, quia, si condito testamento Scholaris emittat vota purè & simpliciter ; sine protestatione reseruandi dominium; hæres institutus potest sibi iure mutare titulum possessionis, &, cum prius nomine testatoris bona detineret, nomine eiusdem, familiaritatis causa; postea incipere potest possidere suo

nomi-

nomine, & animo domini: Infirmitas huius Argumenti demonstratur ex multis capitibus: & nominatim, quia Vota Scholarium in Societate sunt titulus sufficiens ad translationem dominij. IV. 123. & seqq.

Oppugnatores Dominij incurrisse excommunicationem ac alias pœnas demonstratur. IV. 235. & seqq.

Testimonia Tribunalium & Academiarum pro dominij retentione habentur V. Parte.

PRIMA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRIMA PARS.

CONSVLTATIO

An qui in Societate IESV *absoluto Nouitiatu faciunt Vota simplicia substantialia Religionis, amittant rerum Dominium & Ius Testandi.*

ad

IN-

A
&
au-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX

Primæ Partis.

Facti Species, Controuersiæ Status, Decisio.

I. ARGVMENTVM, *Quo probatur retentio Dominij post Vota ex Iure Societatis.*

II. ARG. *Ex Iure Pontificio.*

III. ARG. *Ex Obseruantiâ subsecutâ.*

IV. ARG. *Ex Ratione petitum.*

V. ARG. *Ex Refutatione omnium Obiectionum.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONSVLTATIO.

PRoponam primò facti ſpeciem, quæ huic Conſultationi occaſionem præbuit. Secundò Controuerſiæ ſtatum ſubijciam. Tertiò de re propoſita ſententiam meam vnica Aſſertione comprehendam. Quartò eamdem argumentis ex Iure Societatis, Conſtitutionibus Pontificijs, Obſeruantia perpetua, & Ratione petitis confirmabo. Poſtremò ad omnes Aduerſariorum obiectiones reſpondebo.

FACTI SPECIES, CONtrouerſiæ ſtatus, Deciſio.

TItius Religionem Societatis IESV ingreſſurus condidit Teſtamentum, in quo hæredem ex aſſe inſtituit Caium fratrem ſuum germanum. Elapſo biennio (tam diu enim Societatis Tyrones probantur) emiſit vota Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ, non quidem ſolemnia (vt fit in alijs Religionibus) ſed ſimplicia, iuxta peculiare huius Ordinis Inſtitutum: quorum tamen votorum vi effectus eſt non impropriè, vel lato modo, vel adinſtar, vel ex priuilegio: ſed propriè, ſtrictè, pariformiter, & iure quo qui optimo Religioſus. Procedente tempore idem Titius memor, iuxta promiſſionem factam in Nouitiatu, ſe eſſe obligatum ad ſua bona, quæ ſecutus dictamen carnis & ſanguinis Fratri teſtamento reliquerat, diſtribuenda in pia & ſancta opera, iuxta illud Chriſti, *ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pau-*

da pauperibus, veni & sequere me; de Superiorum consensu, reuocato testamento condito ad fauorem Fratris, aliud condidit ad fauorem Collegij Coloniensis, redacti ad graues angustias rerum domesticarum, propterea quòd ad illud quamplurimi è Societatis hominibus, varijs Domicilijs huius & aliarum Prouinciarum ab Hæreticis exturbati, confugissent.

2 Ex proposita Facti specie magna Iuris controuersia orta est, *An Titius ex vi voti Paupertatis emissi post biennium Probationis, destitutus fuerit bonorum suorum Dominio, illudq; in Caium transmiserit, ac proinde Testamentum prius conditum confirmauerit, & irreuocabile fecerit.* Re delatâ in Iudicium, & vtrinque magna contentione agitata, tandem pro Collegio Colon. à sapientissimis Iudicibus pronunciatum est. Non defuerunt tamen Aliqui (quo spiritu ducti nescitur,) qui, etiam postquam Caius causâ cecidit, satis benè longo Scripto, communibus, vt apparet, operis, concinnato, ostendere conentur, Titium ex vi voti Paupertatis destitutum fuisse Dominio bonorum suorum, & testamentum in seculo factum confirmasse, nec potuisse nouum condere, Collegij Colon. Patres tradiderunt mihi recens ex Italia ad hanc Vrbem appulso Scriptum illud, iusseruntque meum super hac Causa iudicium exponere. Pareo, & pono hanc Assertionem.

3 *Titius vi Voti Paupertatis emissi in Societate post biennium, tenetur quidem statim,*

tim, non disponere vllo modo de suis bonis, nec illis vti absq; scientia & consensu Superiorum: non tamen priuatus fuit eorundem Dominio, neque illud transmisit in Caium, nec confirmauit testamentum conditum ante ingressum, nec illud fecit irreuocabile: ac proinde de Superiorum licentiâ & validè & licitè de suis bonis iterum disponere, etiam per viam testamenti potuit.

Hæc Assertio potissimum probanda est ex Iure, quo vtitur Religio Societatis, quod continetur in eiusdē Cōstitutionibus, Canonibus & Decretis toties à Sede Apostolica confirmatis, & præterea ex duplici Motu proprio GREGORII PAPÆ XIII. ex perpetuâ Obseruātiâ subsecutâ & vniuersali in totâ Societate; ex Ratione, & ex Refutatione omniū argumentorū, quæ hactenus pro cōtrariâ parte allata sunt. Sed, quoniam ad omnes textus, qui depromuntur à Nobis ex Cōstitutionibus & Canonibus Societatis, & Motu proprio GREGORII XIII. video Aduersarios habere paratam responsionem petitam ex noua quâdam Dominij distinctione, qua (si Deo placet) elidi, an eludi? arbitrantur omne robur argumentorum nostrorum; operæ pretium esse duco, eiusmodi distinctionem hic ponere ante oculos: vt intelligatur quàm non aptè quadret in textus mox afferendos. 4

Dominium (ex istorum sententia) aliud est *Particulare & actiuum*: aliud in *Communi*: aliud *Passiuum*. *Particulare & actiuū* est illud, quod definitur *Ius per-* §

fectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Qui enim tale Dominium habet, potest de suis rebus suo arbitratu disponere. Disponere autem est actus potentiæ & facultatis actiuæ.

6 *Dominium in communi* est illud, quod habent personæ particulares, quæ sunt membra alicuius Communitatis, V. G. Religionis, quæ possideat bona in communi: nam Religiosi particulares, nõ sunt ipsi Domini talium bonorum, sed ipsa Communitas, ipsi singillatim accepti habent solum *Dominium in communi.*

7 *Dominium passiuum* est illud, quod competit alicui, qui sit priuatus omni *Dominio particulari & actiuo*; si retineat capacitatem ad acquirenda aliqua bona vel in eo statu, in quo est, vel in alio possibili. Porrò autem Aduersarij accommodando hanc distinctionem *Dominij* Titio obstricto votis, dicunt, Titium non habere Dominium *particulare, nec actiuum*; sed solum *Dominium in communi*; quatenus est membrum Collegiorum, quæ possident bona stabilia: *& passiuum*, quatenus retinet capacitatem, & quasi potentiam Passiuam ad recuperanda bona, quorum Dominium amisit per emissionem votorum, si legitima authoritate vinculo votorum soluatur. Habeo distinctionem, in qua sanè non possum mirari satis Aduersariorum animositatem, qui cùm non sint hospites in Iure Ciuili & Canonico, &, vt apparet, non indiligenter versati in bonorum Auctorum lectione; ausi sint asserere, vocem *Dominium*, significare Ius, hoc est, *passiuam potentiam*, ad acquirenda bona temporalia,

ralia, cùm nullus sit textus, nullus locus apud vllum Scriptorem, in quo Dominium non sit vsurpatum pro Iure & facultate actiua disponendi de suis bonis. si hoc non est abuti vocabulis, quid tandem erit? Sed condonetur Aduersarijs hæc interpretandi licentia, quando & ipsos illius puduit: ideoque in hoc vltimo Scripto, quod confutamus, (quia posteriores curæ sunt etiam sapientiores) re vera nullam fecêre mentionem *Dominij passiui*: & alioqui non parum benè meriti sunt de omnibus mendicabulis, qui, si Dominium est capacitas ad bona temporalia acquirenda; satis diuites censeri possunt. non fuit tamen hæc inaudita acceptio Dominij dissimulanda: quòd intellexerim etiamnum à quibusdam iactari, non incommodam esse. sic nimirum fiet, vt nullus relinquatur tergiuersandi locus, si ostenderimus textibus mox afferendis, ex Constitutionibus Societatis, & Pontificia declaratione, nullo modo congruere posse: sed quicquid dicitur de *Dominio*, esse intelligendum de *Dominio particulari & actiuo*, & nullatenus de *Dominio in communi & Passiuo*.

Est præterea supponendum pro intelligentia 8
terminorum, in *Examine Generali*; quod est quasi Summarium Constitutionum Societatis, & in ipsis Constitutionibus, & earum Declarationibus, quæ sunt eiusdem authoritatis, vt dicitur *in proœmio & parte 6. c. 10. lit. A.* Nomine *Scholaris* siue *Scholastici* intelligi illum, qui peracto Nouitiatu emisit tria vota simplicia, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, & promisit ingredi in Societa-

tem, hoc est, acceptare suo tempore gradum Professorum, qui in Societate supradicta vota solemniter faciunt, sicut omnes alij Religiosi, vel gradũ Coadiutoris formati, qui etiam suo tempore emittit supradicta tria vota non solemnia, sed solum publica: quorum vi amittit illicò Dominium suorum bonorum, & fit incapax successionis: potest tamen cum causâ à Religione dimitti.

9 Nomine autem *Probationis* intelligitur non solum tempus biennij Nouitiatus; sed etiam, quod durat ab emissione votorum simplicium, quæ fit absoluto biennio vsque ad tempus, quo quis promouetur ad gradum Professi vel Coadiutoris formati. omitto textus qui passim occurrunt in Constitutionibus, contentus vnico, qui habetur *parte 4. ca 4. lit. E* vbi ita dicitur: *quod autẽ promittit Scholasticus in Societate, est in eius Corpus ingredi, vt statim obseruet Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam actu iuxta Societatis consuetudinem, siue admissus sit, vt post absoluta studia sit Professus, siue Coadiutor formatus, & sic consequenter potest illum statim Superior admittere in* Scholasticum, *ac simul in* Probationem, *ad hoc, vt ad Professorum gradum, vel Coadiutorũ suo tempore admittatur.* His notatis ad Assertionis positæ confirmationem veniamus.

PRIMVM ARGVMENTVM ex Iure Societatis.

10 I. OCcurrit textus clarissimus *ex part. 6. cap. 2.* quod totum est *de ijs, quæ ad Paupertatem*

pere

pertinet, vbi cum S. Fundator. §. 11. dixisset sic. *Vt nihil proprium domi teneri, ita nec foris, apud alios potest: & quisque ijs, quæ de communi data fuerint ad vsum suum necessarium aut conuenientem, resecatis superfluis, sit contentus*; addit quæ sequuntur *lit. H. Intelligendum est hoc absolutè de Professis, & Coadiutoribus formatis. Cæterum in* Scholaribus, *qui tempus* Probationis *nondum expleuerunt, hoc intelligi debet de rebus ijs, quæ in præsentia subsint eorum dispositioni: nihil enim horum habere debent, nisi conscio & approbante Superiore. neque verò sermo est de bonis, quæ forte procul inde illi habent, de domibus scilicet vel rebus alijs: sed quod ad hæc attinet, parati etiam esse debebunt, vt illis se abdicent, quandocunque Superiori videretur; Vt in Examine dictũ est.* Ex hoc loco habemus primò hic agi de modo, quo singuli, qui sunt in Societate, obseruare debeant votum Paupertatis, cuiuscumque gradus sint. Secundò, esse sermonem tam de bonis mobilibus & pecunijs, quàm de immobilibus. Tertiò, constituendam esse aliquam differentiam inter Professos & Coadiutores formatos ex vna parte, & inter Scholares ex altera. His positis, sic argumentari licet. Si Scholares nõ retineant Dominium particulare actiuum bonorum suorum; nullum est discrimen inter ipsos & Professos, quod tamen esse debet, ergo retinent. [illegible]atur antecedens, quia conscio & approbante Superiore, etiam Professi possunt habere aliqua bona, & de facto habent ad suum vsum. Sine consensu eorundem Superiorum neque Professi, neque Scholares possunt habere vllam rem, nam alioqui essent Proprietarij:

ergo quando constitutio dicit, *Professos nihil proprium habere posse absolutè*; & Scholares habere posse, *conscio & approbante Superiore*, non potest habere alium sensum, quã quod Professi nihil habere possunt, quoad Dominium & proprietatem neq; sine, neque cum licentia Superiorum; Scholares verò *conscio & approbãte Superiore* possunt habere proprium, non quidem vt proprium, & independenter à voluntate Præsidum, sed quoad Dominium & proprietatem radicalem, & vsum solum cum eorundem consensu, vt Religiosos decet: cuius tamen Dominij radicalis & proprietatis Professi incapaces sunt.

11 Aduersarij hic exerunt suam Dominij distinctionem; & dicunt primò, discrimen consistere in hoc, quod Scholares habeant Dominium in communi respectu bonorum Collegij, cuius membra sunt, Professi non habeant.

Sed contra, primò Quia etiam Professi habent Dominium in communi bonorum earum Domorum, quorum membra sunt.

Secundò, in hoc textu nomine *bonorum*, intelliguntur ea, *quæ sunt sub dispositione ipsorum Scholarium, & quæ procul inde ipsi habent, vt sunt domus*, &c. talia autem non sunt bona Collegiorum, sed quæ ipsi possident.

Dicunt secundò, Scholares retinere Dominium passiuum suorum bonorũ. sed contra, primò, quia retinent Dominium bonorum eorum, quæ deinde Superioris iussu distributuri sunt in pauperes; hæc autem distributio non potest fieri sine

Domi-

Dominio actiuo particulari, cum actualis distributio supponat tamquam suum principium Ius & facultatem actiuam.

Contra secundò, quia si Scholastici retinent solum Dominium passiuum suorum bonorum; actiuum penes quem erit? Respondebunt, esse penes eos, qui successêre Scholaribus, vel ex testamento, vel ab Intestato. sed cõtra, quia hæc bona debent Scholares, quando Superior iusserit, in pauperes distribuere, quî autem hoc fieri poterit; si iam Dominium actiuum translatum fuit in successores? maneat ergo, Dominium de quo textus loquitur, esse actiuum & particulare.

11. Produco textum *ex part 4 in cap 4.* quod est de *Scholasticis admissis conseruandis, lit b.* vbi cum S. Pater dixisset, *Scholasticum debere statim obseruare Castitatem, Paupertatem & Obedientiam actu, iuxta Societatis consuetudinem*; hæc verba subdit: *hæc consuetudo facit, vt quamuis paupertatis votum sit emissum; bona tamen temporalia haberi possint ad certum vsque tempus, quod superiori intra probationis spatium videbitur.* Ex quibus verbis sic argumentor. Scholasticus post votum Paupertatis habere potest bona. Ergo retinere illorum Dominium. Ergo per votum, illud nõ amisit: quæ omnia clara sunt ex terminis. 12

Respondere possunt Aduersarij, Scholasticum amisisse *Dominium particulare, & actiuum*, retinere *Dominium in communi, & passiuum.* 13

Contra, quia Scholasticus post vota paupertatis *potest habere bona, ad certum vsque tempus quod Superiori videbitur.* Ergo quando Superiori videbitur, 14

tenetur se illis abdicare. Ergo interim illa habet: Superiori autem ordinariè videtur, hanc abdicationem esse faciendam, post tres, vel quatuor annos ab ingressu in Nouitiatum, iuxta Decretum P. *Claudij Aquauiuæ piæ memoriæ*; confirmatum à VII. *Congregatione generali Canon.* 17. §. 5. vbi statuitur, *quod Nostris bonorum possessio quadriennio concedatur, & non diutius sine consensu Præpositi Generalis:* licet etiam citius fieri permittatur. Supponamus ergo, aliquem Scholasticum iuberi à Superiore abdicare se Dominio bonorum, quæ habet, post tres vel quatuor annos ab ingressu, vt ferè iam fit. In hoc casu quæro ab Aduersarijs, quo bonorum Dominio se abdicabit hic Scholasticus? non *particulari:* quia per ipsos istud amisit ex vi votorum, quæ nuncupauit post biennium. Dicent, abdicabit se *Dominio in Communi.* Contra, quia isto Dominio non priuatur, nisi per vota solemnia, si fiat Professus, vel publica, si Coadiutor formatus: & Scholares Societatis post huiusmodi bonorum abdicationem factam iussu Superiorum, adhuc per plures annos remanent in gradu Scholasticorum, nec promouentur ad gradum Professorum, vel Coadiutorum formatorum, nisi post absoluta studia, quæ in Societate requirunt ferè septem annos, & post Doctionem litterarum humaniorum per quatuor, vel quinque annos, & post vnum annũ tertiæ probationis: interim, ergo post factam abdicationem bonorum, cùm sint adhuc Scholastici; retinent *Dominium in cõmuni*, per Doctores istos, qui *Dominium in communi* esse dicunt,

quod

quod habent Scholastici respectu bonorum Collegij, cuius membra sunt; ergo per illam abdicationem factam iussu Superiorum, non abdicant *Dominium in communi*. Neque abdicant *Dominium passiuum*: quia dum sunt in gradu Scholasticorum, in quo, vt diximus, possunt esse etiam post factam bonorum abdicationem, retinent capacitatem ad recuperanda sua bona in casu dimissionis, in qua capacitate iuxta Doctores eosdem consistit *Dominium passiuum*; Ergo Scholares per abdicationem bonorum factam iussu Superiorum, amittunt *Dominium particulare*, *& actiuum*, non *Dominium in communi*, *& passiuum*, ergo ante factam abdicationem, quam faciunt dum sunt in statu Scholarium, retinent *Dominium particulare*, *& actiuum*; quod Aduersarij negant.

III. Profero textum *ex parte* 3. quæ est *de conseruandis illis, qui probantur in domibus, & Collegijs*; & consequenter de Scholaribus, vt apparet *ex cap.* I. § 1. in quo capite §. 7. hæc habentur. *Vt experiri incipiant sanctæ Paupertatis virtutem, doceantur omnes, quod nulla re tanquam propria vti debeant. quamuis necesse non sit, bonorum suorum tempore Probationis possessione se abdicare, nisi id Superior post elapsum primum annum iuberet, iudicans in huiusmodi bonis, tentationum occasionem; & minus, proficiendi in spiritu habere aliquem, vt qui illis adhæreat, aliquo immoderato amore, vel confidentia: & tunc qui se exuit bonis suis, sequatur Christi consilia. Pro sua tamen deuotione ad hoc potius, quam illud opus dispensare bona sua, vel eorum* 15

partem

partem poterit; Explicare autem volens S. Pater quid intelligeret nomine *Possessionis*, hæc addit *lit. F. possessione bonorum suorum se abdicare, tam de proprijs bonis intelligendum est, quæ habet penes se, vel alios, quàm de iure, vel actione, quæ ei competit ad bona quæ sperat, siue secularia illa, siue Ecclesiastica sint. quando hoc fieri debeat, Præpositi Generalis, vel eius, cui ille facultatem communicauerit, arbitrio relinquetur.* Ex quibus verbis Constitutionis hoc argumentum formo, vt ostendam Scholares post emissa vota retinere *Dominium particulare & actiuum:* & non solum illud in *Communi, & passiuum*, quod Aduersarij commenti sunt. Agitur hoc loco de illorum bonorum possessione, & Dominio, quæ respectu Scholarium dici possunt *sua, propria, secularia, Ecclesiastica*, & talia, ad quæ Scholaris habeat *ius, & Actionem*, quæ Scholaris *speret*, quibus se *abdicare possit, ac debeat dispensando iuxta Consilium Christi*; id est Pauperibus: & quæ bona post abdicationem factam *amplius non possideantur*; nec habeantur de facto, & abdicata *auferant tentationum occasionem, & immoderatam confidentiam*; ideoque Scholaris *constanter perseueret in sua vocatione*, quandoquidem à se per illam abdicationem *submouit omnem fiduciam bona iam dispensata recuperandi.* hæc omnia commodissimè quadrant in bona quorum Scholastico competit possessio, & *Dominium in particulari & actiuum*, & nullo modo possunt accommodari bonis, quorum Scholasticus habeat *Dominium in communi & passiuum*. patet vtraque pars huius assumptionis.

16 Nam si dicamus Scholasticum retinere possessio-

ſeſſionem, & *Dominium in particulari & actiuum*, illa bona dici poſſunt *ſua*: poſſunt dici *propria*: poſſunt eſſe *ſecularia*, hoc eſt Patrimonialia: *Eccleſiaſtica*, quia poteſt fieri, vt Scholaſticus habeat aliquod beneficium, vel penſionem Eccleſiaſticam: poteſt etiam Scholari competere *Ius & actio* ad aliqua bona, v. g. ad legitimam in bonis Paternis, & ad aliquam ſucceſſionem hæreditariam: poteſt etiam Scholaſticus *ſperare* bona quæ non habet, poteſt exuere ſe ſuis bonis, *à ſe illa abdicando & diſpenſando in pauperes*, qua abdicatione facta Scholaris *non habet amplius illa bona*, quare *etiam ſubmouit à ſe tentationum occaſionem, & immoderatam confidentiam*: quia donata pauperibus non poſſunt vnquam recuperari; ideoque Scholaris conſtanter pergit in Dei obſequio.

Quod ſi, vt volunt Aduerſarij, agatur hoc loco de bonis, quorum Scholari competat *Dominium in communi*; omnia ſupradicta erunt intelligenda de bonis Collegiorum: nam iſti *Dominium in communi*, quod Scholares Societatis retinent, aiunt eſſe Dominium bonorum Collegiorum, quorum ipſi membra ſunt, Atqui bona Collegiorum non poſſunt dici, nec ſunt *ſua*, id eſt Scholarium: nec *propria*; cum ſint communia: nec *ſecularia*; quia ſunt Religioſa: nec *Eccleſiaſtica*; quia raro admodum Collegia habent beneficia & penſiones, ſicut nec *Ius & actionem* ad legitimas, vel ſucceſſiones hæreditarias, ne ratione quidem ipſorum Scholarium, vt dicitur *part 6. cap. 2. §. 12.* præterea bona Collegiorum Scholares *non ſperant*, ſed poſſident; 17

nec

nec possunt se illis exuere donando pauperibus, quia sunt Collegiorum & non sua: Ergo cùm verba Constitutionis non possint intelligi de possessione, & *Dominio in communi*; necessario accipienda sunt de possessione, & *Dominio particulari*. Quod verò neque intelligi possint de *Dominio passiuo*, paret euidenter; quia istud Dominium passiuum per Aduersarios, Scholares retinēt semper vsque ad tempus Professionis, vel vota publica Coadiutorum formatorum, quia nimirum est capacitas ad recuperanda bona, quæ habebant in seculo; Constitutio autem loquitur de bonis, quibus se Scholaris exuere debet, dispensando illa pauperibus. Ergo non sunt bona, quæ Scholaris habebat in seculo, quia illa non potest dispensare ex istorum sententia, quia istorum bonorum amiserunt *Dominium actiuum & particulare*, emittendo vota simplicia post Nouitiatum, & maximè, vt ipsi contendunt, Titius, qui illorum Ius transmisit in Caium. Accedit quod *Dominium passiuum*, non potest retineri respectu beneficiorum, & pensionum Ecclesiasticarum, quæ forte Scholaris in seculo habebat, & iuxta principia Istorum ipso iure vacarunt per emissionem votorum simplicium, absoluto biennio Nouitiatus. Ex quibus omnibus manifestè constat, possessionem bonorum & Dominium, de quibus loquitur Constitutio, esse possessionem & *Dominium particulare, & actiuum*, quod scilicet Scholaris emittendo vota non amisit, sed adhuc retinet.

18 IV. Adduco textum *ex Examine Generali. c. 4.*

vbi

vbi cum S. Fundator. §. 1. dixisset, *quod quicunque Societatem ingredi volent, antequam in domo aliqua vel Collegio viuere incipiant, debent omnia bona temporalia, quæ habuerunt, distribuere & renunciare, ac disponere de ijs, quæ ipsis obuenire possent, eamque distributionem esse faciendam primum in res debitas & obligatorias, si quæ fuerint: si verò tales nullæ fuerint; in pia & sancta opera, iuxta illud: dispersit, dedit pauperibus, & illud: si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*; subdit §. 2. hæc verba. *Quod si statim propter aliquas honestas causas bona non relinquet; promittat, se promptè relicturum omnia post vnum ab ingressu absolutum annum, quandocunque per Superiorem iniunctum ei fuerit in reliquo tempore Probationis, quo completo ante Professionem Professi, & ante tria vota publica, Coadiutores re ipsa relinquere, ac pauperibus dispensare debent, vt Consilium Euangelicum, quod non dicit, da consanguineis, sed pauperibus, perfectius sequantur.* Ex quo loco hoc argumentum conficio. Qui ante ingressum in Societatem bona sua pauperibus non distribuerunt, tenentur distribuere, quandocunque Superiori videbitur ante Professionem futuri Professi, vel ante vota publica Coadiutores formati: Ergo suorum bonorum Dominium non transmiserunt in alios per votorum simplicium emissionem. Antecedēs patet ex verbis allatis: consequentia probatur, quia, si suorum bonorum Dominium Scholares per vota amiserunt; frustra iubentur esse parati ante Professionē, vel vota publica illorum Dominiū renunciare, & bona distribuere pauperibus: Ergo suorū

bono-

bonorum retinent Dominium. Respondent Aduersarij, retinere *Dominium in communi*, respectu bonorum Collegij, cuius sunt membra, *& passiuũ*, respectu bonorum suorum, ad quæ recuperanda ius habent in casu, quo dimittantur à Societate.

19 Contra autem, quia Dominium illud in communi non potest deseruire ad id, quod intendit Constitutio, vt scil. Scholares distribuant bona, quæ non distribuarunt in seculo, quandocunque Superior iniunxerit, & ratio est, quia bona Collegij, respectu quorũ est istud *Dominium in communi*, Scholares, vt iam dixi, nec tenentur, nec possunt distribuere. Nõ potest esse *Dominium passiuum* tantum illud quod Scholares retinent post vota simplicia, quia illud est solum Ius recuperandi bona, vt isti dicunt, amissa per vota simplicia in casu dimissionis; Dominium autem, de quo est quæstio; debet deseruire ad distribuenda bona, quæ in seculo habebantur: Ergo *Dominium* est *actiuum & particulare*, quale necessarium est ad istam distributionem faciendam, & non in *communi & passiuum*.

20 V. Affero textum ex *eodem examine Generali cap. 4. nu. 5.* vbi statuitur, vt Nostri, si Ecclesiastici sint, tũ postquam in Societatis corpus *vt Professi vel Coadiutores cooptati fuerint, nulla Ecclesiastica beneficia possint retinere, debeant tamen illa relinquere tempore probationis, quandocunque Superiori visum fuerit*, & idem dicitur generaliter de quibuscunque bonis Ecclesiasticis *part. 3. cap. 1. lit. F. vt scilicet Scholares se debeant abdicare possessione bonorum, siue secularia illa, siue*

Eccle-

Ecclesiastica sint, quando Præposito Generali videbitur; & his Constitutionibus conformis est *Canon. 1. primæ Congregationis Generalis*, qui sic habet. *Nostri, qui ante ingressum in Societatem, habent beneficia, non cogantur ea relinquere, nisi iubente Generali Commissario, vel Prouinciali: & præterea etiam Canon. 17. §. 4. Sept. Congr. Gen.* vbi sic dicitur; *Pensionibus tamen Ecclesiasticis, & similibus generum horum, cum ita personalia sint, vt super Nostrorum personis constituantur, abdicare se in solidum Nostros non expedit: Patris tamen nostri iudicio annua illorum distributio committenda.* Ex quibus locis sic argumentari licet. Scholares Societatis post vota simplicia, retinent Beneficia, & Pensiones; tum Ecclesiasticas; tum temporales. Ergo etiam bonorum quorumcunque temporalium Dominium. Consequentia est clara; quia non est maior ratio de bonis temporalibus, quàm Ecclesiasticis. Antecedens patet ex textibus allatis.

Et quo ad Pensiones, & beneficia decisum est à 21
Sacra Rota Romana *in vna Nullius, seu Caput Aquensis Pensionis, die Lunæ 18. April. 1616. coram R. P. D.* MARTINO ANDREA. In qua sacrum illud Tribunal toto orbe venerandum decreuit, P. *Franciscum Nerium* post emissa vota simplicia retinuisse Pensionem Ecclesiasticam. Et ratio, qua permota fuit SACRA ROTA est; *quia Schalores Societatis retinent Ius, & Dominium bonorum suorum ad effectum ea distribuendi in pios vsus*, ad quod ostendendum affert SACRA ROTA Constitutiones GREGORII XIII. *Quanto fructuosius*, &, *Ascendente Domino*. de quibus nos paulò post dicemus: & alias ra-

tiones,& Doctorum testimonia, tum è Societate; tum externorum, quæ videri possunt à §. *Præterea*, ad finem vsque Decisionis illius in Decisione ipsa huic scripto adiuncta.

22 Non est tamen omittendum, quod in ea Decisione asseritur, retentionem beneficij, & pensionis tribuere Ius Scholaribus post emissa vota simplicia, percipiendi ex illis annuos reditus, & fructus. Vt vel hinc intelligant Aduersarij hoc Ius & Dominium non esse in *Communi & passiuum*, sed *particulare, & actiuum*, & Titium retinere non solum Dominium bonorum suorum: sed etiam Ius ad omnes fructus ex illis perceptos ab alijs ipso inuito, recuperandos.

23 VI. Probatur eadem Assertio ex perpetua & constanti persuasione Patrum Societatis, qui conuenerunt iam septies ad Cõgregationes Generales. Hi enim simul Congregati, & habentes authoritatem condendi Decreta, & declarandi Constitutiones ex Indulto Sedis Apostolicæ, semper supposuerunt, Scholares post emissa vota simplicia retinere bonorum suorum, quæ in seculo habebant, *Dominium particulare, & actiuum*, quamobrem multa decreuerunt circa tempus, locum, modum, & alias circumstantias, quibus, illorum bonorum distributio fieri debet. *Congregatio* I. *Decreto* 140. decreuit, vt nostri habentes beneficia, non cogantur ea renunciare ante Professionem. II. *Congregatio, Decreto* 23. statuit, vt bonorum distributio, fiat à Nostris intra eandem Prouinciam, & *Decreto* 76. de quorum consilio

hæc

hæc distributio fieri debeat. *Congregatio* III. *Decret.* 16. declarat, per Prouinciã in qua bona sunt distribuenda, intelligi Prouinciam, in qua ipsa bona sunt; & *Decreto* 39. iubet, in renuntiatione bonorum nullas iniri debere pactiones, nisi prius Præpositus Generalis informetur. *Cõgregatio* IV. *Decreto* 65. confirmat decretum proximè allatum Congregationis 3. & addit, dandam esse à P. N. Generali instructionẽ circa praxim eiusdẽ Decreti, & *Decreto* 67. cõfirmat Decretũ quoddam III. Cõgregationis Generalis circa extractionẽ bonorũ extra Prouincias. *Congregatio* V. *Decreto* 50. § 4. decernit, si Scholares distribuant sua bona sine facultate Superioris, facturos contra votũ Paupertatis. VI. *Congregatio*, *Decreto* 8. concessit, vt in Casu distributionis bonorum aliqua bona applicari possent extra Prouincias, in quibus ipsa bona sunt, Seminarijs nostrorum etiam extra illam Prouinciam, si forte in ea ingressus sit ille, qui bona distributurus est; VII. *denique Congregatio*, *Decreto* 17. multa statuit circa distributionem bonorum, quæ nostri post vota simplicia retinent, quæ longum esset hic singillatim recensere, satis est, quod iubet, non fieri renunciationes antequam liceat per patrias leges, quod permittat possessionem bonorum saltem ad quatuor annos, & dicat non expedire pensiones Ecclesiasticas, & similia, quæ merè sunt personalia, absolutè & in solidùm abdicare. Ex quibus omnibus, vt significaui, apparet, iuxta sensum totius Societatis legitimè toties congregatæ, per vota simplicia non amitti Ius & *Dominium actiuum*, &

particulare, propriorum bonorum, siue illa temporalia, siue Ecclesiastica sint.

II. ARGVMENTVM EX Iure Pontificio.

24 QVÆ iam tot locis ex Constitutionibus Societatis adductis, & Canonibus, & Decretis Congregationum Generalium probata sunt, confirmantur ex declarationibus Pontificijs. omissis autem *Summis Pontificibus* PAVLO III. IVLIO III. PAVLO IV. PIO V. GREGORIO XIV. & PAVLO V. imò & SACROS. CONCILIO TRIDENTINO, à quibus Societatis Institutum examinatum, probatum, commendatum, & confirmatum fuit, produco solum duos textus ex Cõstitutionibus duabus GREGORII TERTII DECIMI. Primus est ex Constitutione quæ incipit *Quanto fructuosius*. *Data Anno* 1582. *Calend. Februar.* qui sic habet, *quod verò ad paupertatem attinet, quamuis* bonorum suorum Ius & Dominium *iustas ob causas pro Superiorum arbitratu* ad tempus retinere valeant, *vt in pios vsus iuxta Euangelicum consilium distribuant; in illorum tamen vsu religiosam paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria, & sine Superioris facultate vti possunt.* Secundus textus habetur in Constitutione quæ incipit *Ascendente Domino. Data* 1584. 8. *Calend. Iunij*, vbi ita habetur. *Licet qui ad gradus Professorum, & Coadiutorum formatorum nondum peruenerunt*, bonorum suorum Ius atque Dominium, *tum alias ob iustas causas, tum etiam vt maiorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, cum*

minori

minori offensione dimittendi, ad tempus Generalis Præpositi iudicio præscribendum valeant retinere, *vt in pauperes tandem, seu alios pios vsus pro ipsorum deuotione distribuant iuxta Euangelicum consilium ac promißionem, quam initio Nouitiatus faciunt; interim tamen quantum ad illorum vsum Religiosam paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria & sine Superioris facultate vti possunt.* Hactenus Pontificiæ Constitutiones: in quibus quot sententiæ ac verba, totidem penè insunt argumenta, quibus probatur, Scholares Societat. & Titium post vota simplicia retinere *Dominium in particulari, & actiuum* bonorum, quæ non distribuit irreuocabiliter in pios vsus.

Primò enim agitur de Dominio bonorum, 25
quæ Scholares iuxta promissionem factam initio Tyrocinij, debent pauperibus erogare: illa autem promissio est de distribuendis bonis proprijs relictis in seculo. Ergo est *Dominium particulare, & actiuum,* & non *in communi, & paßiuum*: quia Dominium *in communi*, vt sæpe dixi, est Dominium respectu bonorum, quæ possidet Collegium, cuius Scholares membra sunt: & certè ad hæc bona distribuenda ipsi non se obligant: neque est *Dominium paßiuum* tantum, quia debet deseruire ad distribuenda in pios vsus bona relicta in sæculo, quæ tamen per Aduersarios Titius ratione *Dominij paßiui*, potest solum recuperare in casu, quod dimittatur à Societate. Imò addunt Titium illorum bonorum *Dominium actiuum*, transmisisse in Caium, cui etiam dicunt esse

Ius quæsitum in eisdem bonis. Secundò. Dominium, de quo agit Pontifex, est illud, quod retinetur ad tempus Generalis arbitrio præscribendū, qui solet iniungere Scholaribus illius abdicationē 4 ferè post annos ab ingressu; Ergo est *Dominium in particulari, & non in communi*, quia quando Scholaris iussu Generalis abdicat se suis bonis, adhuc post abdicationem, retinet *Dominium in communi*, quia est membrum Collegij, cuius, bonorū respectu, est illud *Dominiū cōmuni*. Tertiò. Est sermo de Dominio bonorum, quod adhuc Scholares retinent, vt si dimittantur à Societate; dimittantur cum maiori libertate, & minori offensione: quoniam votis soluti, statim recuperāt liberum vsum bonorum suorum, quorum Dominium non amiserant per vota: at si retinent, vt volunt Aduersarij, solum *Dominium passiuum*; non facilè recuperabūt sua bona; nec poterunt dimitti sine magna offensione; quia in illis bonis, vt ipsi sentiunt, est iam acquisitum Ius tertio, &, huic iuri si quod esset (quod ipsi falsissimè supponūt) benè docent, derogari non posse. Quod si dicāt, hoc esse peculiare in simplici voto Paupertatis in Societate, vt reseruet Vouenti *Dominium passiuum*, ad sua bona recuperanda; ego argumentabor ad hominem sic. *Vota Religiosa* (sunt illorum verba) *debent in omnibus Religionibus esse æqualia & nō potest vnum esse laxius alio* Ergo cum votum Paupertatis in alijs Religionibus priuet omni Dominio, tam actiuo, quàm passiuo; ita vt Professus nullum Ius retineat, neque ad bona, quæ olim habebat, neque ad vlla alia; votum etiam Pauperta-

tis Scholarium Societatis, quia non debet esse laxius, quam sit in alijs Religionibus, priuabit etiam *Dominio passiuo*. Et si rursus dicant Aduersarij, votum Paupertatis Scholarium in Societate habere ex institutione Ecclesiæ, vt non auferat *Dominium passiuum*; ego etiam dicam ex eiusdem Ecclesiæ Institutione habere, vt non priuet *Dominio particulari, & actiuo*.

Deinde expendo aliqua verba, quibus vtitur 26
GREGORIVS PONTIFEX. Prima verba sunt: *Dominium valeant retinere*, potius debuisset dicere; *valeant acquirere*. quia per emissionem votorum Scholares incorporantur Collegijs, & ideo *acquirunt Dominium in communi bonorum*, quæ possident Collegia, quorum per vota membra euadunt: Deinde, *Retinere*, est illud, quod quis habebat, tenere: At Scholares ante vota habebant *Dominium actiuum, & particulare*, & non illud in communi. Ergo retinent Dominium particulare, & actiuum. Alia verba sunt; *bonorum suorum*. si dicamus Dominium, quod retinetur post vota esse, *Dominium particulare* bonorũ, quæ habebantur in seculo; rectè dicuntur *bona sua*; at si dicamus esse *Dominium* solum *in communi*; non potest dici *bonorum suorũ*; quia bona Collegij, respectu quorum est Dominium in cõmuni, sunt bona cõmunia, *nõ sua*. Alia verba sunt, *interim tamen, quantũ ad illorũ vsum, religiosam paupertatẽ seruant*. In his verbis agnosco quandam *Aduersatiuam*, quæ consistit in hoc, quod, licet Scholares bonorum suorum ius, atque Dominium valeant retinere; tamen

quantum ad illorum vsum, religiosam paupertatem seruant. si per Dominium intelligamus *Dominium* propriè dictum *particulare*, & *actiuum* bonorum quæ relicta sunt in seculo; consistit rectè illa *Aduersatiua*, quod scilicet nõ obstante Dominio *particulari*, & *actiuo* propriorum bonorum, nihilominus quoad vsum eorundem seruẽt paupertatem, ac si non essent sua, & propria: & semper dependenter à consensu Superiorum. At vero si per Dominium, quod Scholares retinent, intelligatur *Dominium in communi*; (vt isti Doctores volunt) quænam, obsecro, *Aduersatiua* erit in hac oratione? *licet Scholares Societatis retineant Dominium in communi bonorum Collegij, tamen quoad vsum illorum religiosam seruant paupertatem*? Hoc non est peculiare Scholarium Societatis. sed omnium Professorum in alijs Religionibus, quæ possident bona in communi, etenim etiam ipsi, quatenus membra religionis sunt, habent Dominium in communi.

III. ARGVMENTVM EX Obseruantia Subsecuta.

27 Licet obscurum esset, An Constitutiones, & Canones Societatis in locis supra adductis permitterent Scholaribus eiusdem etiam post vota nuncupata *Dominium particulare*, *& actiuum* bonorum quæ in seculo reliquerunt; (quod tamen obscurum non est) tamen cum ab initijs ipsius nascentis Societatis, vsque in hanc diem, hoc est, per spatium Annorum 98. in omnibus

Colle-

Collegijs toto Orbe dispersis, obseruatum perpetuo sit, vt Scholares Societatis retinuerint Dominium bonorum suorum tam secularium, quam Ecclesiasticorum, & successerint in hæreditatibus, atque ita iudicatum fuerit in pluribus Tribunalibus; hæc inquam obseruantia perpetua, & consuetudo ferè centenaria satis superque probaret, à Scholaribus post vota retineri *Dominium particulare*, *& actiuum* bonorum suorum, nam huiusmodi obseruantia, & consuetudo est optima legum, & Constitutionum interpres *ex l. si de interpretatione cum seq. ff. de leg. Surd. Cons.* 362. *n.* 10. *Put. decis.* 12. *lib*, 3.

Atque hoc argumento potissimum vsa est 28
SACRA ROTA ROMANA in allegata Decisione. §. *Vltimo pro hac parte. Quia obseruantia subsecuta, & vniuersalis, atque inconcussus vsus Societatis facit, vt tam Nouitij, quam illi, qui emiserunt vota simplicia, retineant Ius, & Dominium bonorum suorum; non solum temporalium; sed etiam in specie Beneficia, & pensiones Ecclesiasticas*, respectu quorum bonorum Ecclesiasticorum nullo modo affirmari potest, Scholares retinere *Dominium in communi*, *& passiuum*, vt patet ex dictis. Est autem diligenter aduertendum, in SACRA ROTA ROMANA fuisse legitimè probatam prædictam obseruantiam, & inconcussum vsum varijs exemplis ex omnibus fere Prouincijs, Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Germaniæ, Galliæ, Belgij, & Poloniæ: & quod ipsa etiam SACRA ROTA addidit, *non posse dubitari de prædicta obseruantiâ, neque de illius viribus, cùm non*

solum non repugnet supra relatis Constitutionibus Apostolicis; verùm etiam illis sit maximè conformis.

29 Equidem de facto proprio testari iuratus possum, ac sanctè testor, me post elapsum annũ sextum ab ingressu, quartum ab emissione votorum Romæ disposuisse de meis bonis de Superiorum consensu, eamque dispositionem, quod alicui videretur minus solemnis, ratificasse Perusiæ post annos quinque, quarum dispositionum vtrobique extant Documenta publica.

30 Neque omittendum est aliud argumentum, quo eadem SACRA ROTA vtitur; est autem huiusmodi; quia *Scholares Societatis non sortiuntur naturam aliorum Regularium; sed penitus diuersam, quoad scilicet Dominium bonorum suorum particulare, & actiuum retinendum*; & adducit testimonia non solum scriptorum è Societate, quibus tamen, vtpote melius callentibus Societatis Institutum, fides deneganda non est, sed etiam alios externos, & in specie *Emmanuelem Rodericium in Quæstionibus Regularibus, Ludouicum Mirandam in Manuali Prælatorum, Garsiam de beneficijs in locis*, quæ ibi videri possunt.

IV. ARGVMENTVM EX ratione petitum.

31 ARgumentis hactenus explicatis satis superque demonstratum esse arbitror, Scholarem quemcumque Societatis, ac proindè etiam Titium ex vi simplicis voti Paupertatis emissi in Societate, non destitui suorum bonorum Domi-

nio

nio particulari, & actiuo: & consequenter nõ transmisisse illud in Caium, nec firmasse testamentum factum in seculo, neque illud fecisse irreuocabile: ideoque priore reuocato aliud condere potuisse ad fauorem Collegij Coloniensis. hæc enim omnia pendent ab illo principio, quod Dominium particulare, & actiuum per vota emissa in Societate non sit deperditum. Videor iam mihi audire Aduersarios dicentes, se tandem tam luculenter edoctos de Instituto & Iure, quo vtitur Societas, cõfirmato à tot Romanis Pontificibus, cõmendato à Cõcilio Tridentino, tam perspicuè declarato à Sanctæ memoriæ GREGORIO XIII. non posse amplius repugnare, & longe à se alienum esse, vt asserere velint, vel S. P. IGNATIVM in cõdendis Constitutionibus errasse, aut APOSTOLICAM SEDEM deceptã fuisse, aut OECVMENICVM CONCILIVM nescisse, quod laudauit. credere igitur se rem habere, vt nos dicimus, & captiuare suum intellectum in huius veritatis obsequium: pergratũ tamẽ sibi fore, si aliqua ratione reddatur credibile, quod credunt: & argumenta quibus inducti cõtrariũ hactenus asseruerũt, soluantur, ęqua postulant. vtrumq; Deo benè iuuante præstabimus. Ratio ergo est hæc. QVOD VOTVM PAVPERTATIS priuet illico Vouentẽ omni iure, & Dominio bonorũ temporaliũ, quæ habebat, & capacitate ad noua bona acquireda, nõ est de essentia, & substantia voti: neq; de Iure naturali, vel diuino. Ergo solũ de Iure Ecclesiastico. Ergo, sicut Ecclesia adiunxit voto Paupertatis

illam

illam vim priuandi omni iure, & Dominio, ita etiam poterit non adiungere. Prima Consequentia patet. quia si hanc vim non habet votum ex natura sua, vel Iure naturali, vel diuino; reliquum est, vt habeat de Iure Ecclesiastico. Secunda Consequentia etiam est clara; quia sicut Ecclesia quibusdam votis paupertatis illam vim priuandi omni Dominio, adiunxit; ita potest non adiungere, & de facto non adiunxit votis Scholarium Societatis.

32 Probatur ergo antecedens à priori hoc modo, quoad primam partem. quia votum ex essentia sua est quædam lex priuata, quam vouens sibi ipsi indicit, vt constat ex materia de voto. atqui nemo potest ita legē sibi indicere, quin eam reuocare possit, *ex l. si quis. ff. de legat. 3.* ergo nemo potest sua priuata voluntate per votum auferre à se capacitatem Iuris, & Dominij. Explicatur planius: si vouens Paupertatem, vouendo aufert à se Dominij & Iuris capacitatem; est quia non vult esse capax: at potest reuocare ac mutare hanc voluntatem. Ergo potest recuperare illud Dominium & capacitatem. Ita argumētatur *Basilius Pontius Augustinianus celeberrimus apud Salmanticēses primariæ Cathedræ moderator Primarius de matrim. l. 7. c. 13. n. 6.* Explicatur adhuc clarius. Votū essentialiter nihil aliud est, nisi promissio aliquid agendi: vel omitrendi:, & consequenter effectus immediatus voti, est obligatio ad aliquid agendum, vel omittendum. & materia proxima voti, est actio vel omissio aliqua Vouentis. Atqui Incapacitas

Domi-

Dominij non est aliqua actio vel omissio; sed potius quædã impotentia, quæ non est in potestate Vouentis: ergo ex natura, & essentia voti nõ inducitur hæc Dominij Incapacitas: & consequenter non est de Iure naturali, vt votum Paupertatis priuet illico Vouentem omni Iure & Dominio.

Probatur antecedens quoad secundam partẽ; hoc est non esse de Iure diuino. quia status Religiosus fuit institutus à Christo, vt cum communi sententia docet *S.Tho.2.2.q.88.a.4.ad.3.VValdensis Aluari Pelagij, Dominici Soto, Nauarri, Hieron: Plati, quos referunt, & sequuntur Basilius Pontius li.7.de matrimon.cap.2.Suarez de Religione.tom.3.lib.3.cap.2.* & hic status Religiosus quoad substantiã, & essentiam suam perpetuatus fuit in Ecclesia vsque ad nostra tempora, vt probant supra citati Auctores, *Basilius, & Suarez locis allatis.* & *Nauarrus Commento 4.de regularibus n.7.& 8.* vbi in specie probat Canonicos Regulares esse Religiosos eosdem, quos *S.August.* instituit; imò ipsi *SS.Apostoli*, ex sententia quadam lata à PIO IV. super præcedentia concedenda prædictis Canonicis Regularibus à Monachis S.Benedicti. Atqui veteres illi Religiosi per votum Paupertatis non priuabantur Iure, & Dominio bonorum suorum, nec capacitate ad eadem acquirenda. Ergo votum paupertatis Religiosæ non habet hanc vim priuandi Dominio Iure diuino. Minorem huius argumenti fusè probant *Suarez Tomo 3. de Religione.lib.3.cap.7. & Basilius Pontius lib.7.de ma-*

trimo-

*trim.cap.*13. & ſumma Probationum eſt; quia ve-
34 teres illi Religioſi. 1. condebant Teſtamenta. 2. habebant Dominium Regularum quas habebãt, Cellulæ, & hortuli. 3. inſtituebantur hæredes.

35 Et leges ſeculares, vt videre licet *in lege. Generaliter C de ſacroſanctis Eccleſijs, & in lege, ſi quis presbyter C. de Epiſcopis & Clericis*, multa ſtatuerunt in fauorem diſpoſitionum, & vltimarum voluntatum Religioſorum; vt etiam factum eſt *in Cõcilio Lugdunenſi primo, Anno* 570. *vbi decretum eſt inter alia, vt quorumcumque Religioſorum voluntas, etiamſi aut neceſſitate, aut ſimplicitate aliquid à legum ſecularium ordine videatur diſcrepare*; (hoc eſt carere aliqua ſolemnitate) *tamen debeat inconcuſſa manere*, vide *Baſilium loco citato n.* 4.

36 Confirmatur idem antecedens à ſimili hoc modo. De facto votum ſolemne Caſtitatis Religioſæ non priuat Profeſſum, qui coniugatus eſt iure exercendi copulam matrimonialem: Ergo multo magis poteſt dari votum ſimplex Paupertatis, quod non priuet Religioſum iure, & Dominio bonorum ſuorum temporalium. Probatur Antecedens, in Profeſſo alicuius Religionis, quæ ſit perfectiſſima Religio; nam ſi quis in ea poſt conſummatum matrimonium, de conſenſu coniugis Profeſſionem emittat; non diſſoluitur matrimonium conſummatum, vt certi Iuris eſt: Ergo cùm maneat vinculum matrimonij; conſequenter manet Ius in corpus Coniugis: licet vſus talis Iuris ſit illicitus. Ex quibusomnibus ſequitur, incapacitatem Dominij eſſe ſolum de Iure Eccleſiaſtico,

Sed

Sed possunt respondere Aduersarij, esse quidem de Iure Ecclesiastico, vt votum Paupertatis Religiosæ priuet iure, & Dominio bonorum temporalium: sed hoc Ius esse coæuum institutioni status Religiosi.

Sed contra: quia iam probauimus ex *Suarez & Pontio locis allegatis*, Religiosos primorum seculorum non fuisse destitutos iure, & Dominio bonorum suorum. Deinde quibus indicijs hoc probant Aduersarij? quibus coniecturis? qua traditione? quo textu? audiantur potius Doctores cõmuniter Docentes, ab Ecclesia hanc solemnitatem, vt priuet Vouentem iure, & Dominio bonorum suorum, non fuisse adiunctam voto Religiosæ Paupertatis ante tempora IVSTINIANI IMPERATORIS, & GREGORII MAGNI *relati in Capitulo, quia ingressi, & Capitulo, perlatum.* 10. q. 3. quod confirmauit postea GREGORIVS IX. cap. 2. de testam. & nouissimè Concilium Tridentinum de Regularib. sess. 24. cap. 2. 38

Rursus possunt obijcere Aduersarij, solemnitatem in voto Paupertatis, quatenus priuat omni iure, & Dominio bonorum temporalium, esse de Iure diuino; quod putatur sensisse *S. Thomas, & aliqui Doctores* ante tempora GREGORII XIII. quatenus affirmarunt in genere, vororum solemnitatem esse de eodem Iure diuino. Ergo non potest separari à voto Paupertatis Religiosæ hæc Dominij incapacitas.

Sed contra, 1. quia iam docuimus, antiquos 39

Reli-

Religiosos fuisse verè, ac propriè Religiosos: & tamen Dominij capaces fuisse. Contra 2. quia vt latè probat *Suarez de Religione Tomo 3. lib. 2. cap. 14. & Tomo 4. lib. 3. cap. 4. Basilius Pontius lib. 7. de matrim. cap. 7.* fere omnes Iuris Pontificij Interpretes putarunt hanc solemnitatem in votis esse ex Institutione Ecclesiæ, & non Iuris diuini, & habetur *in cap. vnico. de vot. & vot. Redempt. in 6.* & optime declarat, & probat *Caiet. 22. q. 88. Art. 7.* & iam post Constitutionem GREGORII XIII. Ascendente Domino. hæc veritas, *quòd solemnitas votorum sit ex sola Ecclesiæ Institutione*, non potest sine errore in fide negari; *vide omnino Basilium eodem cap 7. à n. 2. vsque ad finem.*

40 Quod verò antiqui aliqui Doctores cum *S. Thom.* existimauerint, solemnitatem votorum religiosorum esse de Iure diuino, vel de essentia, & substantia votorum; non est mirum. quia scribebant eo tempore, in quo nulla erat in Ecclesia Religio, in qua vota religiosa non essent solemnia, & in specie votum Paupertatis non priuaret iure, & capacitate Dominij: sicut omnes, qui scribunt de matrimonio post CONCILIVM TRIDENTINVM, dicunt esse de illius essentia, & substantia, vt solemnizetur per præsentiam Parochi, & tamen certum est ante Concilium, matrimonium validè potuisse contrahi sine Parochi præsentia: sicut & nunc etiam potest in locis in quibus Concil. Triden. non est receptum quoad hoc.

41 Confirmatur tota hæc responsio, quia potest esse

esse aliqua Religio tota, & aliqui Religiosi particulares, qui tamen non emittant nisi vota simplicia. Patet hoc 1. quia Scholares Societatis ex definitione GREGORII XIII. votis simplicibus emissis sunt verè ac propriè Religiosi. 2. ex sententia *Caiet. 2. 2. quæst 38. art. 7. potest stare mutatio status mancipando hominem ad diuinum cultum; & religiosa opera cum voto simplici; vt patet si Ecclesia institueret, quod in sacro Ordine, & Religione aliquà simplex votum fieret.* 3. hoc definiuit SIXTVS V. qui fuit Minorita *in Congregatione Sancti officij*, decernens substantiam Religionis regulariter consistere in votis solemnibus: at posse Summum Pontificem *aliter statuere*, ita refert *Thomas Sanchez ex Ribadeneira lib. 5. in Decalog. cap. 1. num. 23.* Cùm ergo ex hactenus dictis solemnitas votorum religiosorum, & consequenter quod votum Paupertatis priuet Iure, & Dominio bonorum, sit duntaxat inuenta ab Ecclesia; poterit ex eiusdem Ecclesiæ institutione esse aliquod votum Paupertatis religiosæ, absque ista vi priuandi Dominio: & tale est votum Scholarium Societatis, antequam fiant Professi, vel Coadiutores formati. Sed Aduersarij possunt rursus objicere: *C. cum ad Monasterium, de statu Monachorum.* in quo INNOCENTIVS III. videtur sentire, retentionem Dominij nõ posse concedi à Summo Pontifice. quare repugnat essentiæ, & substantiæ voti Paupertatis religiosæ; nam si non repugnaret, vtique à Summo Pontifice posset concedi, cum ille sit supra omne Ius Canonicum.

42 Omissis varijs Doctorum Responsionibus, ex quibus aliqui dicunt, hoc non posse Pontificem sine causâ, sed cum causâ iusta posse. Respondeo cum sæpè iam laudato *Basilio Pontio lib. 7. de matrim. cap. 13, num. 10. in illo C.* nomine *Proprietatis* non intelligi Dominium, sed solum vsum rerum independentem sine scientiâ, & consensu Prælati. *Probatur* euidenter 1. quia si INNOCENTIVS III. vellet retentionem Dominij pugnare cum essentia, & substantia status Religiosi, sequeretur, Religiosos primorum seculorum non fuisse veros Religiosos, contra ea quæ hactenus demonstrata sunt. Si autem INNOCENTIVS nomine *Proprietatis*, intelligit vsum independentem à consensu Superioris; rectè dixit, nec PONTIFICEM posse dispensare: quia de essentia voti Paupertatis est, ne quis vtatur vlla re tanquam propriâ, licet sit sua, & propria quoad Dominium: Deinde nomine *Proprietatis* non intelligi in eo textu Ius, & Dominium bonorum temporalium, patet ex ipsis verbis, quæ sunt hæc: *Neque quisquam Monachorum proprium aliquomodo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet.* Ecce INNOCENTIVS supponit, Monachos non eo ipso, quod sunt Monachi, amittere suas res, sed iubet, illos resignare. Pergit deinde. *Si verò post hoc* proprietatem *aliquam fuerit deprehensus habere; regulari monitione præuia, de Monasterio expellatur: nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundum Monasticam disciplinam, quod si* proprietas *apud quenquam inuenta fuerit in morte; ipsa*

cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur: secundum quod B. GREGORIVS *narrat in Dialogo se fecisse. Vnde si quicquam fuerit alicui specialiter designatum, non præsumat illud accipere; sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.*

Circa quæ verba quæro 1. cum *Basilio*, si nomine *Proprietatis* intelligitur Dominium, quî potest apud Monachum deprehendi, cùm sit incorporale? 2. quo modo potest quis inueniri cum Dominio in morte? 3. quo pacto potest quis cum *Proprietate* & Dominio sepeliri? Quod si per *Proprietatem* intelligamus aliquam rem, quam Monachus detineat, & qua vtatur, & de qua disponat absque scientia, & consensu Prælati (qui omnes actus dicunt vsum liberum, & independentem à suo Superiore) omnia, quæ dicit INNOCENTIVS, rectissimè explicantur: & hoc est illud, quod INNOCENTIVS vult; non posse *Proprietatem*, id est, vsum liberum, & independentem à Superiore, stare cum substantia & essentia status Religiosi; nec Papam posse in hac dispensare. Præterea de illa *Proprietate* agit INNOCENTIVS, quam sciebat esse possibilem, & illicitam Religiosis: alioquin si putasset esse impossibilem, perinde fecisset, ac si Princeps sub pœna capitis suis subditis volatum prohiberet. Atqui si *Proprietas* dicat Dominium, & vsum, & possessionem, vt ista nomina significant aliquod Ius; erat impossibilis Religiosis illius temporis, quia omnes emittebant vota solemnia, per quæ destituebant-

bantur omni Iure, & Dominio. At si per *Proprietatem* intelligamus, vt intelligere debemus, vsum rerum temporalium, & dispositionem de illis, & detentionem sine scientia, & consensu Superiorum; ista omnia sunt possibilia Religioso, & ideo meritò prohibentur. Ex quibus omnibus colligo, non esse satis ad inducendum vitium Proprietatis, vti aliqua re propria, cuius Religiosus habeat Dominium, sed esse necessarium, vt quis illa vtatur tanquam sua, & vt propria sub hac reduplicatione, quomodo à Fundatoribus Religionum, & nominatim vt vidimus à S.P.N. IGNATIO prohibetur.

VLTIMVM ARGVMENTVM

Ex refutatione omnium obiectionum quæ pro Caio afferuntur.

ANimaduerti omnia Argumenta, quibus Aduersarij sibi persuadent demonstrari, Titium per vota amisisse bonorum suorum Dominium: ac proinde confirmasse Testamentum ad fauorem Caij, illudque reddidisse irreuocabile, nec nouum condere potuisse, peti tribus ex locis: Ex Iure communi omnibus Religiosis, ex Iure speciali Societatis, ex priuatis quibusdam factis, & dictis eiusdem Titij. Proponam igitur has obiectiones eodem ordine, & soluam.

I. Vota substantialia, quibus aliquis fit verè, ac propriè religiosus, priuant Vouentem *Dominio particulari* bonorum suorum, vt docet *Platus l. 2. cap. 3. de bon. stat. Relig & S. Hieronymus Epist. ad Heliodo-*

tioderum, vbi, Christi seruus, inquit, *nihil præter Christum habet, & si habet, perfectus non est.* atqui Titius per vota emissa, licet simplicia, tamen substantialia, factus est verè ac propriè religiosus, vt definit GREGORIVS XIII. in sæpè allegata Constitutione *Ascendente Domino*. Ergo Titius amisit bonorum suorum Dominium. & confirmatur: quia, vt docet *Panormitanus, in rub. de Testam. num.* 6. & *Nauar. tract. de redit. Ecclesiast. quæst.* 1. §. 59. vota substantialia reddunt Religiosos inhabiles ad testandum, & Testamentum antea factum confirmant.

Resp. Maiorem esse falsam, vt patet ex dictis: 43
quia Religiosi primorum seculorum erant verè, & propriè Religiosi: & nihilominus erant capaces Dominij, & testandi. Deinde substantia, & essentia voti Religiosæ Castitatis stat cum matrimonio, nec est de illius essentiâ, non esse coniugatum, vt rectè docet *Less. lib.* 2. *de Iustit. cap.* 41. *dubit.* 8. *num.* 72. & nos supra docuimus; quia si duo Coniugati post Matrimonium consummatum communi consensu profiteantur in Religione approbata; matrimonium non dissoluitur: & consequenter retinent Ius, & Dominium mutuum in Corpora, &c. Sed quærere possunt Aduersarij, in quo igitur consistit essentia voti Religiosæ Paupertatis?

Resp. *ex eodem Leßio*, vt quis non possit vti vlla re, neque vllam possidere, aut de illa disponere absque Superioris arbitrio: sicut ad essentiam voti Castitatis pertinet efficere, vt Vouens sine

sacrilegio non possit vti, vel frui actu vllo etiam alioqui licito, qualis est in Coniugio, qui sit contra hanc virtutem. *Platus* ergo loquitur de statu Religioso, in quo emittuntur vota solemnia, & de perfectione accidentali; *S. Hieronymus* vero intelligendus est, vt velit, Christi seruum nihil habere tanquam proprium, neque vlla re debere vti tanquam propriâ, sed omnibus dependenter à Superiore: in quo diximus consistere essentiam Paupertatis Religiosæ: vel vt loquatur de perfectione accidentali, si vult perfectum Religiosum carere Dominio. Ad confirmationem Resp. *Panormit.* & *Nauarr.* loqui de Religiosis iuxta Ius commune, hoc est, de Professis, qui sunt incapaces Dominij, ac proinde testandi.

II. Vnitas status Religiosi consistit in identitate, & inuariabili substantia votorum solemnium eiusdem: at omnes Religiosi per vota destituuntur Dominio, & illius capacitate: & consequenter iure testandi. Ergo Titius, cùm sit verè ac propriè Religiosus, carebit his omnibus.

44 Resp. I. Putare me, Aduersarijs excidisse illam vocem *solemnium*, quia Religio Societatis conuenit essentialiter, cum omnibus Religionibus & etiam quo ad omnia sua membra, hoc est, non solum Professos, sed etiam Coadiutores formatos, & Scholares est verè & propriè Religio, ex Declaratione GREGORII XIII. & ex ipsorum Aduersariorum confessione, imo Religio mendicans, vt declarauit PIVS V. *in citata supra Constitutione,*

tutione, Dum indefessæ. & tamen vota Coadiutorum formatorum, & Scholasticorum sunt vota simplicia, & non solemnia. Ergo falsum est, vnitatem Religionum consistere in identitate, & inuariabili substantia votorum *solemnium.* oportuisset non addere *tò solemnium.*

Resp. 2. Maiorem propositionem esse veram, 45
si intelligatur de vnitate & identitate substantiali, quam diximus consistere, in eo, quòd votum Paupertatis essentiale inducat obligationem non vtendi vlla re tanquam propria: nec disponendi vlla de re absque arbitrio Superiorum. quocirca accidentale est voto Paupertatis, vt priuet Dominio bonorum.

Resp. 3. Falsam esse simpliciter illam maio 46
rem intellectam etiam de Religionibus, in quibus fiunt vota solemnia. quia aliæ voto Paupertatis tenentur nihil habere, neque in particulari, neque in communi: aliæ possident bona in communi, vt Monasticæ, & aliquæ etiam Mendicantes: & in specie RELIGIO S. DOMINICI primis temporibus nihil possidebat in communi: nunc possidet. quis autem dicet non esse eandem Religionem substantialiter? Inter eas, quę nihil possident in communi, est etiã magna varietas. nam *Minores de Obseruantia, & Capuccini* non possunt institui hæredes, & profitentur, se nullius rei habere Dominium, nõ solum Ecclesiarum, & Monasteriorum; sed ne vestium quidem, aut ciborum, quibus vtuntur *ex Clem. Exiui. de verb. signif.* SOCIETAS IESV Professa est capax hæredi-

tatum ex Constitutione IVLII III. *quæ incipit, Exposcit debitum, &c. Data.1550.12.Kal. Augusti.* ad effectum tamen bona stabilia vendendi, & præterea habet Dominium Ecclesiarum, & domorum, & mobilium, quæ possidet. Ecclesia Minorum de Obseruantia, est capax legati annui ad cultum diuinum: Societatis Professæ nec Ecclesia, nec Sacristia est capax: *vide Sanchez in Decalog. lib.7.cap 27.*

III. Priuatio vsus bonorum propriorum cum radicali Dominio eorundem stat cum statu diuitiarum, qui directè contrariatur Paupertati. Ergo non potest verus Religiosus, qualis est Titius, dici pauper, si retineat Dominium particulare suorum bonorum, quantumuis sit priuatus libero eorundem vsu. Antecedens est clarum in filijs familias, & paruulis existentibus sub cura Tutoris, qui sunt verè diuites, & tamen carent vsu libero suorum bonorum.

47 Resp. Distinguendo. Priuatio vsus bonorum solum ad tempus cum radicali Dominio stat cũ statu diuitiarum, concedo, talis est filiorum familias, & paruulorum. Priuatio vsus bonorum perpetua ex parte illorum, qui habent radicale Dominium eorundem, stat cum statu diuitiarum, nego. talis est priuatio vsus Titij, qui ex parte sua nunquam poterit liberè vti rebus suis. Adde quod idem Titius tenetur ad nutum Superiorum exuere se omni momento, etiam Dominio radicali suorum bonorum, quare non est, nec dici potest diues. Et ratio à priori est, quia diui-

diuitiæ, non tam expetendæ sunt propter Dominium, quam propter vsum: & ideo qui habet illarum vsum omninò dependentem à voluntate alterius, & Dominium tam mobile, vt se illo teneatur abdicare alterius arbitrio, valdè pauper dicendus est. Sicut si aliquis Princeps esset exturbatus omnibus suis bonis, quorum habebat Dominium vtile, & illi relicta essent solum aliqua bona concessa alteri in Emphyteusin perpetuam; is profectò, omnium iudicio, esset valdè pauper: non obstante, quòd habeat Dominium tantùm directum multorum bonorum.

IV. Vsus bonorum temporalium non opponitur paupertati Religiosæ; vt patet in Episcopis assumptis à Statu Religioso, qui habēt vsum, & administrationem bonorum temporalium; & tamen sunt verè pauperes: quia scilicet carent omni iure, ac Dominio. Ergo Titius, licet careat vsu, & administratione bonorum suorum; non erit pauper: cùm retineat illorum Dominium. quia priuatio vsus, vel positio non facit ad Paupertatem.

Resp. Vsus bonorum temporalium indepen- 48
dens à voluntate alterius non opponitur paupertati, nego. Vsus perpetuo dependens ab alieno arbitrio, non opponitur, concedo. Episcopus ergo non tam dici potest pauper, quia caret Dominio, quam quia habet vsum, & administrationem dependenter à Papa. Titius igitur, licet non possit dici pauper ratione Dominij, quod retinet; tamen quia habet vsum perpetuo depen-

dentem in omnibus à Superioribus, est verè, & propriè pauper; cùm docuerimus in hoc consistere essentiam voti Paupertatis, vt quis nulla re vtatur tanquam propria.

49 Vnde retorqueo argumentum. Carentia Dominij stat cum vitio Proprietatis, vt patet in Professis vtentibus tanquam proprijs rebus Monasterij. Ergo carentia vel positio Dominij non facit ad vitium Proprietatis. Ergo Titius licet retineat radicale Dominium, non debet dici Proprietarius, & potest esse, & est verè pauper.

V. Si Titius post vota emissa retinet *Dominium particulare* suorum bonorum, cùm eorundem vsu sit perpetuo priuatus; hoc Dominium erit inutile, & imaginarium, & potius appellandum non Dominium: cum vsus iam abdicatus nunquam possit cum Dominio cõsolidari, quod in Iure absurdum est.

50 Resp. Titium non esse simpliciter priuatum vsu suorum bonorum, sed solum vsu independenti à voluntate Superiorum; quare annuentibus Superioribus potest vti rebus suis, & de illis disponere tanquam verus Dominus. Adde, quod potest dari casus, in quo iste vsus cum Dominio consolidetur; si nempe Titius (quod Deus auertat) à Societate dimittatur.

VI. Titius per vota confirmauit Testamentum in seculo factum, quo ad vsum bonorum suorum, illo enim priuatus est perpetuo. Ergo quo ad vsum mortuus est ciuiliter, & decessit quo ad illum testatus. ex altera parte retinet Dominium,

minium, & quo ad Dominium non est mortuus ciuiliter. Ergo ratione Dominij decessit intestatus, decedere autem ex parte testatum, & ex parte intestatum, abhorret ab omnibus Iuribus.

Resp. Titium per vota non esse mortuum ciuiliter quo ad vsum bonorum suorũ simpliciter: sed solum quo ad vsum independentem à voluntate suorum Superiorum, itaque retinet Dominium, & vsum, & quicquid est iuris bonorũ suorum, sed impeditũ, ne exeat in actum secundum. 51

VII. Qui in Religione approbata substantialia vota emisit, est ciuiliter mortuus, & consequenter perdit Dominium bonorum suorum: & hæres institutus post hanc ciuilem mortem adit hæreditatem ingressi, vt Iura omnia clamant. Ergo cùm Titius emiserit vota substantialia Religionis; ciuiliter mortuus est, & perdidit Dominium suorum bonorum: & Caius iure adijt ipsius hæreditatem, nec est amplius locus reuocationi testamenti.

Resp. Religiosos per vota mori mundo debere quoad effectum, & vt dicit S. PAVLVS, *vti hoc mundo tanquam non vterentur, & possidere bona temporalia tanquam non possidentes*: & mori etiam quoad aliquos effectus, non tamen esse necessarium, vt moriantur quoad omnes, & si *mortuum* esse ciuiliter significat perdidisse bonorum suorũ Dominium; iam diximus hoc non esse effectum cuiuscunque voti Paupertatis, sed solum alicuius. Accedit quod Titius licet retineat bonorum suorum Dominium, cum illo se abdicare tenea- 52

neatur ad nutum Superioris, neque de illis vllo pacto disponere possit sine eorundem consensu; est quodammodo in mortis articulo, & quoad vsum instar mortui. Atque hæ obiectiones desumptæ sunt ab Aduersarijs ex Iure communi. Sequuntur depromptæ ex Iure speciali *Societatis*.

VIII. Scholaribus post vota omnibus eadem est viuendi ratio, & obediendi. *debent enim omnes in omnibus obedire, & in communi viuere, ex Bull. Gregor.* Ergo Titius post vota non habet *Dominium in particulari*, sed *in communi* solum.

53 Resp. *Viuere in communi* opponi ei, quod est viuere in particulari, & habere aliquam singularitatem, in victu, vestitu, &c. quare argumentum non videtur ad rem, vt probet, Titium carere *Dominio particulari*. retinet enim illud, vt iam fusè probauimus, sed impeditum: & quamuis totum Collegium viueret ex bonis Titij; ipse tamen Titius tanquam vnus de cęteris viueret de illis, non tanquam proprijs, sed prout applicata essent communibus vsibus Collegij.

IX. Scholares Societatis ex Motu proprio GREGORII XIII. *Ascendente Domino*, quantum ad bonorum vsum religiosam Paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria, & sine facultate Superioris, vti possunt: at si Titius retinet bonorum suorum Dominium, & proprietatem; quis vetat illum vti suis rebus tanquam proprijs?

54 Resp. Esse manifestam fallaciam, argumentari à sensu specificatiuo ad reduplicatiuum, vt isti faciunt, dum dicunt, *Titius habet Dominium bono-*

rum

rum suorum, & proprietatem. Ergo potest illis vti tanquam proprijs. negatur, quia vti tanquam proprijs, est vti independenter à Superioribus, & est contra Paupertatem, vt sæpè dixi. vti autem rebus proprijs, ac si essent alienæ, hoc est, dependenter ab alio, non est contra Paupertatem, sicut contra: vti rebus alienis, vel communibus non excusat à vitio Proprietatis, si quis illis vtatur tanquam proprijs.

X. In Societate votum simplex Castitatis reddit inhabilem ad matrimonium, & habet effectum voti solemnis. Ergo votum simplex paupertatis reddit incapacem ad Dominium.

Resp. Negando consequentiam. Quia, quod votum simplex Castitatis reddat inhabilem ad matrimonium, est ex sola institutione Ecclesiæ à tempore GREGORII XIII. *in Bulla Ascendente Domino, &c.* Ecclesiæ autem non placuit adiungere voto simplici paupertatis Scholarium, incapacitatem Dominij ob iustas causas supra memoratas. 55

Sed contra vrgent: Quia in Religione propriè dicta non debet vnum votum esse laxius alio. Ergo si votum Castitatis Scholarium inhabilitat ad matrimonium; votum Paupertatis inhabilitabit ad Dominium.

Resp. Me non satis videre, quomodo possit fieri comparatio inter diuersa. perinde faciunt Aduersarij, ac si dicerent: Dialecticus non debet esse doctior Mathematico. quod si isti significare velint quo ad substantialia, ista duo vota de- 56

bere

bere esse æqualia; potest concedi. quia votum Castitatis facit illicitas quascunque carnis voluptates, etiam alioqui licitas. & votum Paupertatis facit licitum quemcunque vsum independentem ab alio: quoad accidentalia autem non est necesse, vt sint æqualia.

XI. Vota publica Coadiutorum formatorum priuant Vouentes omni Dominio, tam in particulari, quam in communi, & tamen ipsa sunt etiam vota simplicia in Societate. Ergo votum Paupertatis simplex Titij priuabit saltem Dominio in particulari.

57 Resp. Transeat antecedens: nego consequentiam. quia quod vota publica Coadiutorum priuent Dominio in particulari; est ex constitutione Ecclesiæ, ex qua hoc non habet votum Paupertatis Scholarium; imò habet positiuè contrarium, cum illis concedat, retinere posse Dominium bonorum suorum, vt supra vidimus.

XII. Votum solemne Paupertatis in alijs Religionibus reddit incapaces Dominij particularis Professos. sed Titius emisit votum Paupertatis solemne ex parte sua, licet non ex parte Religionis; quia potest dimitti, & liberari à voto. Ergo non est capax Dominij.

58 Resp. Mirari me acumen Dialecticum arguentium à simpliciter ad secundum quid. *votum Paupertatis simpliciter, & absolutè solemne, reddit incapacem Dominij. Ergo etiam votum Paupertatis solemne secundum quid.* Quod vota solemnia simpliciter inducant incapacitatem Dominij; est ex institutione

tione Ecclesiæ, cui non placuit annectere hanc vim voto simplici Scholarium Societatis, vt dixi.

XIII. Titius tanquam verus Religiosus Societatis, in qua viget in summo virtus Obedientiæ, post vota substantialia amisit liberam, & independentem voluntatem, quæ ad factionem Testamenti requiritur, quòd dicitur esse actus pendens à voluntate vnius. Ergo Titius post vota non potest nouum condere Testamentum.

Resp. 1. Titium per votum Obedientiæ non 59
amisisse physicè liberum arbitrium, & voluntatem: sed solum moraliter in hoc sensu, quòd multas actiones externas non potest licitè exercere independenter à Superiore, nec potest se efficaciter obligare ciuiliter, imò nec per votum, & similia, cùm possit Superior retractare, & irritare, vt benè explicat *Suarez tom. 3. de Religione lib. 2. cap. 10.* atque adeò habito consensu Superioris liberè Titius, & licitè exercet suas actiones, & si condit Testamentum, ille solus est qui condit, & non Superior.

Resp. 2. Dato, & non concesso, quod Titius 60
per votum Obedientiæ non possit Testari: at per Aduersarios quantum est ex vi voti obedientiæ, posset alias dispositiones facere de suis bonis: Ergo nõ infertur hinc quod careat Dominio particulari, sed potius quòd illud retineat. Restant Obiectiones petitæ ex facto, & dictis Titij.

XIV. Ergo eò tendit, vt ostendat, cùm Titius

tius ante ingressum in Societatem condiderit Testamentum ad fauorem Caij: hoc Testamentum non inualidari à Constitutionibus Societatis, imo iuxta easdem factum esse irreuocabile. Primam partem huius Assertionis probant Aduersarij: quia Candidati Societatis debent, vt dicitur *in Examine cap.* 4. §. 1. *omnia bona temporalia, quæ habuerint, distribuere, & renunciare*: cùm ergo Titius emittens vota deposuerit omnem animum, & cogitationem retinendi Dominij, atque ita præcepto citatæ Constitut: paruerit, manifestè sequitur testamentum factum in seculo à Constitutionibus non inualidari.

Secundam partem probant; quia ingressuri Societatem, vt dicitur *in Constitut. p, 3. c. 1. lit. G.* de bonis suis temporalibus pro suo arbitrio statuere possunt, & consequenter etiam mediante Testamento: *& ex cap.* 4. §. 1. *Examinis*, istiusmodi dispositionem semel factam in fauorem cuiuscunque, deinceps reuocare non debent. Ergo Constitutiones Societatis Testamentum factum ante ingressum non solum non reuocant, sed confirmant. Antecedens patet ex locis proximè citatis. Consequentia probatur, quia qualitas adiuncta verbo, debet intelligi secundum tempus verbi *l. in delictis. §. extraneis, de noxal. act.* atqui in allegatis locis qualitas est *Non reuocare*, verbum autem *Disponere*. Ergo ista qualitas debet intelligi secundum tempus verbi, quod est ante ingressum. Ergo secundum Constitutiones Societatis, Titius testamentum ante ingressum factum

reuoca-

reuocare non potest. Nec valet respondere, Testamentum sua natura quouis tempore esse reuocabile, quia hîc habemus Constitutionem prohibentem reuocare dispositionem quauis causa factam.

Ad primam partem obiectionis, concedo cõ- 61
sequens. nam sine dubio Constitutiones Societatis non inualidant dispositiones factas in seculo etiam sua natura retractabiles. Nec est, quòd Aduersarij sibi fingant, hoc venisse in mentem alicui è Societate, vt illũ propterea delirũ appellarent. quo.n. iure id Societas faceret cum homine sibi nõ subdito? sed nego consequentiã. quia licet verum sit, Candidatum Societatis debere omnia bona temporalia, quæ habuerit, distribuere, & renunciare; tamen falsum est, Titium vi voti sui abiecisse à se Dominium bonorum suorum, atque ita paruisse præcepto Constitutionum. quia 62
Constitutiones non sunt contentæ quacunque distributione, & renunciatione, sed requirunt aliquid aliud, quod callidè Aduersarij subticuerũt, cognoscatur ex ipso textu, qui sic habet, *in Examine c. 4. §. 1. Quicunque Societatem ingredi volent, antequam in Domo aliqua, vel Collegio eius viuere sub obedientia incipiant, debent omnia bona temporalia, quæ habuerunt, distribuere, & renunciare, ac disponere de ijs quæ ipsis obuenire possent; eaq; distributio primum in res debitas, & obligatorias, si quæ fuerint, si verò tales nullæ fuerint, in pia, & sancta opera fiet, iuxta illud, dispersit, dedit pauperibus, & illud Christi, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. &*

paulò post. § immediate sequenti, volens statuere Constitutio, quid fieri debeat, si statim supradicta dispensatio in pauperes non fuerit facta; decernit, vt *Nouitius promittat se promptè relicturum omnia, quandocunq; Superior iniunxerit post vnum annum ab ingressu, & Superiore iubente reipsa, inquit, Cõstitutio relinquere, ac pauperibus dispensare debet, vt Cõsilium Euangelicum, quod non dicit*, da cõsanguineis, sed pauperibus, *perfectius sequatur*. Anne vobis videtur Titius paruisse præcepto Constitutionum, dum Testamentum condidit ad fauorem Caij sui Fratris Germani? Apagesis cum ista argumẽtatione. Et potius ex adductis textibus Constitutionum, collige; si Titius velit parere, vt debet, ijsdem, & implere Promissionem, quam initio Nouitiatus fecit; teneri, quandocunque Superiores iusserint, reuocare quodcunque Testamentum in fauorem cuiuscunque factum, quia est sua natura reuocabile; & debere ex vi suæ promissionis non solùm dispensare in pauperes sua bona temporalia, sed ita dispensare, vt *à se omnem fiduciã submoueat eadẽ vllo tempore recuperãdi*, sunt verba Constitutionis in Exam. *c.* 4. §. 1. *in fine*, quod non fit per Testamentum sua natura semper reuocabile; si qui ergo è Societate dixerunt (quod non credo) à Constitutionibus inualidari Testamentum antea factum, non voluerunt aliud, quàm quod diximus; Constitutiones obligare ad disponendum irreuocabiliter, quandocunque Superiori videbitur ad fauorem pauperum,

Ad

Ad ſecundam partem obiectionis, quà probant per Conſtitutiones Titium non poſſe reuocare Teſtamentum, Reſp. falſum eſſe, per illũ textum *examinis cap.* 4. §. 1. non debere reuocari diſpoſitionem ſemel factam ad fauorem cuiuſcunque, per Teſtimonium. quia, vt modo oſtendi, Conſtitutiones volunt diſpenſationem irreuocabilem fieri in ſancta, & pia opera, & in fauorem pauperum iuxta Euangelium; vnde potius Teſtamentũ ex Conſtitutionibus reuocari debet, vt probaui. Deinde in illo §. 1. *c.* 4. nullatenus reperitur illud verbum *Non reuocare*, Vnde ruit tota argumentatio *de qualitate adiunctâ verbo intelligenda ſecundùm tempus verbi*; habetur quidem in eodem §. quod *Candidati Societatis debent ſua bona diſpenſare, à ſe omnem fiduciam ſubmouendo, eadem vllo tempore recuperandi.* ſed ibidẽ ſimul docetur, quomodo ſubmoueatur hæc fiducia: nempè *diſpenſando in pia, & ſancta opera, & dando pauperibus iuxta Euangelium, quod non dicit, da conſanguineis, ſed pauperibus*, & hæc diſtributio eſt omninò irreuocabilis, qualis non eſt Teſtamentaria facta à Titio ad fauorem Fratris Germani.

XV. Titius vota ſubſtantialia Religionis emiſit: ſed per talia vota, *Bartol. Couarr. Menoch.* & alij docent, confirmari Teſtamentum factum ante ingreſſum, non diſtinguendo inter vota ſolemnia. Ergo Titius per vota confirmauit Teſtamentum ſuum.

Reſp. Hos Doctores locutos fuiſſe ſecundùm 63
Ius commune, iuxta quod ſolemnia vota habent

illum effectum, & *Bartolo* quidem nec venire potuit in mentem distinctio voti Religiosi solemnis, & simplicis: *Couarruuia* verò, & *Menochio* satis erat, hunc effectũ habere vota solemnia; si, dum illa scriberent, cogitabant de SOCIETATIS instituto: at si voluerunt etiã vota simplicia Scholarium confirmare Testamentum, decepti sunt, vt supra demonstraui.

Vltima obiectio. Titius emittendo votum Paupertatis etiam merè simplex purè, & simpliciter sine protestatione reseruandi Dominij, Testamentum ante ingressum factum confirmauit possidente bona ipsius hærede Caio. Ergo vota simplicia Titij non solùm non infringunt, verùm etiam confirmant Testamentariam dispositionem factam. Consequentia patet. Probatur Antecedens. quia quando votum simplex Paupertatis emittitur cum intentione abdicandi Dominium, aliquanto tempore, post conditum Testamentum, cuius gratia bona ab hærede detinentur; tunc illa intentio literis, vel alio modo significata operatur traditionem, & abdicationem rerum temporalium, & simul facit, vt hæres licitè sibi mutet titulum possessionis, atque adeò, vt qui ante detinebat nomine Testatoris, familiaritatis causâ; suo nomine habere, & animo Domini possidere incipiat: ac proinde in illis bonis iam sit hæredi ius quæsitum, quod illi auferri non potest, neque de plenitudine potestatis. Atqui Titius emittendo votum Paupertatis, emisit illud purè & simpliciter sine protestatione re-

ne re-

ne reseruandi Dominij, ac cum intentione abdicandi illud à se, aliquanto tempore post conditum Testamentum, quæ intentio probatur ex Epist. ipsius Titij in qua primò scribit, *se non curare vel obolum, neque cupere sua vel semel aspicere, quia Paupertatem vouit.* Secundò, quia precarijs verbis vtitur apud Caium hæredem, *vt aliquid amplius præter legatum relictum, Societati largiretur.* ex quibus verbis apparet, Titium existimasse, se iam non habere Dominium, ac ius respectu suorum bonorum, alioqui cur rogasset, si poterat suo iure agere? Tertiò in eadem epistola ostendit Titius *se pœnitere Testamenti facti,* quasi illud retractare ei non liceret. Ergo Titius per votum emissum sine protestatione reseruandi Dominij, & cum intentione illud à se abdicandi, fecit suum Testamentum irreuocabile.

Resp. 1. Non fuisse opus Titio vlla protesta- 64
tione reseruandi Dominij. quia certi Iuris erat, omne Testamentum esse sua naturâ reuocabile, & Scholares Societatis per vota simplicia non solùm non amittere Dominium; sed potius, illud retinere ex Constitutionibus, & declaratione Sedis Apostolicæ, & perpetuâ obseruantiâ ipsius Societatis. imò manifestum erat, & est, nullum votum simplex Paupertatis habere vim priuandi Dominio, nisi ex Ecclesiæ institutione, vt supra demonstraui. Et Ecclesia non solùm non adiunxit hanc efficaciam voto Simplici Scholariũ, sicuti adiunxit voto simplici Coadiutorum formatorum, sed disertè declarauit, illi non inesse.

65 Resp. 2. Dato, & non concesso fuisse opus protestatione; illam non defuisse in emissione votorum Titio. nam in solemni formula votorum ita habetur. *Voueo Diuinæ Maiestati tuæ, Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam in* SOCIETATE IESV. *omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones*, in quibus habetur, vt probaui tot locis adductis, Scholares habere Dominium bonorum suorum abdicandum à se, quandocunque Superiores iusserint. ex quibus etiam infertur, falsum esse, Titium habuisse intentionem ex vi voti abdicare Dominium: cùm expressè habuerit actualem intentionem Vouendi iuxta Constitutiones, quæ statuunt, à Scholaribus retineri *Dominium particulare, & actiuum*, ad effectum, vt si opus sit, Societas magis liberè illos dimittat, & ipsi cum minori offensione discedant, habituri omnia sua bona, quorum nunquam Dominium amiserunt. Hæc autem formalis intentio Vouendi iuxta Constitutiones, non compatitur vllam intentionem abdicandi Dominium. Accedit, quòd licet Titius habuisset intentionem abdicandi à se Dominium, vi voti Paupertatis, quod emittebat; tamen hic actus fuisset inefficax. quia nemo potest sua propria voluntate abdicare à se Dominium per actum Vouendi sine adminiculo legis, vt supra probatum est. lex autem nusquam voto simplici Paupertatis Scholarium Societatis adiunxit hanc vim, imò detraxit.

Probationes autem, quæ ducuntur ex epistola à

la à Titio scripta leuissimæ potius coniecturæ sunt, vt valdè coactæ, & nullarum prorsus viriũ.

Primò enim, quòd scribat Titius, *se non curare* 66
vel obolum, nec cupere sua, vel semel aspicere, quia vouit Paupertatem, demonstrat his verbis, suũ affectum penitus abstractum à cura rerum temporalium, qualis decet Religiosum Societatis, qui licet retineat radicale Dominium bonorum; nullum tamen retinet vsum, nisi dependenter à Superioribus ex illorum hominum numero, *qui vtuntur hoc mundo*, tanquam non vtantur; & habent, tanquam non possidentes.

Secundò, Quòd Titius verbis precarijs roget 67
Caium, *vt aliquanto plus, quàm legatum fuerat, largiatur Collegio Coloniensi.* Primò Resp. me hæc verba precaria non inuenire in epist. Titij; sed esto: vsus sit precarijs verbis; in eo laudanda est Titij modestia, qui cùm posset suo iure agere, & repetere omnia sua bona; malebat tamen firmũ remanere Testamentum, *& solùm aliquanto plus, quàm fuerat legatum, habere pro Coloniensi Collegio.* Etenim licet Nouitij in ingressu promittant dispensare bona sua in pia, & sancta opera, & pauperibus; tamen, vt dicitur *in Exam. cap. 4. § 3. & part. 3. cap. 1. lit. G.* iustas ob causas probandas à duobus vel tribus viris prudentibus, satis fit illi promissioni, dando etiam Cõsanguineis; & ideò Titius à Fratre postulabat, *aliquanto plus legato facto*, cum intentione, reliquum suũ Patrimonium relinquendi Fratri; quod cum Caius inductus quorundam suasionibus denegarit; commeritus

est ob hanc ingratitudinem, vt Titius Testamentum reuocauerit suo Iure vsus.

68 Esto & illud; putauerit Titius priuato errore, se non posse Testamentum suum reuocare, & inhabilem ad iterum disponendum de bonis suis; nullatenus sequitur Testamentum esse irreuocabile factum, & Titium inhabilem, sicuti si Acolytus, putaret se esse irregularem, eò quòd non solemniter in summo sacro cantasset Epistolam, non propterea esset irregularis.

69 Tertiò, quòd Titius scribat, se pœnitere Testamenti facti. Addens illa verba: *Vtinam id temporis plenè intellexissem, non fuisset factum, quoniam animaduerto non potuisse bonâ conscientiâ fieri*; non video quomodo inferant isti, Testamentum prius factum reuocare non licere. Ego ea verba sic interpretor, *pœnitet me Testamenti facti, quia testamentariâ dispositione non egi, quod* SOCIETATIS *Constitutiones à suis Candidatis petunt, vt scilicet sua bona renuncient, ac de ijs disponant in pia, & sancta opera, & dent pauperibus iuxta consilium Euangelicum; si hoc intellexissem quando condidi Testamentum, non reliquissem mea consanguineis iuxta dictamen carnis, & sanguinis.* Sed quicquid sit de vi harum probationum circa intentionem ipsius Titij, ductarum ab ipsius epistolâ; nullo modo militant contra supra dicta: tum quia hæc intentio in actu Vouendi fuit incompossibilis cum aliâ intentione, vt dixi, Vouendi iuxta Constitutiones; nec Titius erat immemor promissionis factæ initio Tyrocinij de distribuendis suis bonis in pia, & sancta

opera:

opera: tam quia priuatus error, & intentio Titij sunt planè inefficacia ad inducendam priuationem *Dominij particularis, & actiui*, vel ad confirmandum Testamentum prius factum, vel ad transmittendum bona Titij in Caium, & inhabilitandum ad nouum condendum Testamentum, ad quæ omnia necessarium est Iuris adminiculum, vt supra probatum est.

Atque ex hactenus dictis satis apparere arbitror, quam cariosis argumentorum fulcris Doctores quidam (quos fortè minus decebat) sustentare conati sint sua sponte ruentem causam clientis sui Caij, præiudicio SACRÆ ROTÆ ROMANÆ, SEDIS APOSTOLICÆ *Literis*, Societatis Constitutionibus, adiunctâ earundem perpetua, & ferè centenariâ Obseruantiâ tantò ante prædamnatam. 70

Hortor etiam atque etiam istos Patronos, pro ea, qua debeo Christiana charitate, vt aliquando tandem conscientiæ suæ consulant, seque expediri curent quamprimum vinculis illis, in quæ se, nulla officij necessitate coacti, sua sponte induerunt: Censuras dico Ecclesiasticas *Excommunicationem maiorem, atque inhabilitatem ad quacunque Officia, & Beneficia secularia, & quorumuis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendas, latas ipso iure contra quoscunque, qui* SOCIETATIS *institutum, Constitutiones, aut Literas* GREGORII XIII. supra allatas, aut *quemuis earum articulum quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore directè, vel indirectè impugnare, vel* 71

re, vel eis contradicere ausi fuerint; & qui notationes, declarationes, glossas, vel Scholia vlla super præmissis facere, vel de ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari, aut de ijs disceptare seu scrupulum cuiquam inücere, aut in dubium reuocare præsumpserint quoquo modo, & cõtra eos qui glossas, aut interpretationes, siue impressas, siue scriptas ad id pertinentes legere, docere, alijsq; tradere, vendere, vel apud se retinere ausi fuerint. Cùm si quid dubij de ijsdem orirì contigerit, ad SEDEM APOSTOLICAM, *vel ad Generalem Præpositum Societatis, aut ad eos, quibus id ipse commiserit, referendum sit.*

72 Imitentur isti sapientissimos Iudices, qui inspecta æquitate causæ Collegij Coloniensis, & Constitutione GREGORII XIII. quâ iubetur in hoc articulo de retentione Dominij, per quoscunque Iudices, & Commissarios non aliter iudicari debere, atque ipsi prudentissimè iudicarunt; promeriti sunt, vt non solùm Collegium Colon. sed vniuersa Societas, cuius Institutum suo suffragio defenderunt, nunquam in suis sanctis sacrificijs, ac precibus vitam, salutem, incolumitatem ipsorum Deo Opt. Max. commendare desitura sit.

SE-

SECVNDA PARS.

Pro voti solemnitate ex solâ Ecclesiæ constitutione inuentâ,

Nec non

Pro censurâ Propositionis oppositæ.

IN-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
SECVNDÆ PARTIS.

SECTIO PRIMA. *Modus ille loquendi,* Voti Solemnitas est ex solâ Ecclesiæ constitutione, *non potest reprehendi.*

SECTIO SECVNDA. *Voti Solemnitas est reuera ex solâ Ecclesiæ constitutione inuenta.*

SECTIO TERTIA. *Non potest sine errore negari, Voti Solemnitatem ex solâ Ecclesiæ constitutione inuentam esse.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

II. PARS.

NVnquam putassem fore, vt humiles meæ myricæ de cœlo tangerentur; tactæ tamen sunt. Sed vt spero, innoxiè. Demonstraueram in Consultatione nuper edita, rectè consistere cum natura voti substantialis Religiosæ Paupertatis, rerum Dominium sine earundem vsu, tum alijs argumentis, tum eo potissimum, quòd hæc votorum solemnitas, atque hic effectus (vt Paupertas Religiosa Vouentem exuat Dominio) sit, non Iuris naturalis, vel diuini, sed Ecclesiastici: ac proindè non esse de substantia Status Religiosi; quem à Christo institutum fuisse, & non ab Ecclesia, nemo Catholicus ambigit: neque pugnare hæc duo inter se, vt Scholastici in SOCIETATE IESV, sint verè, ac propriè Religiosi, & nihilominus retineant, ad tempus Superiorum arbitrio definiendum, bonorum suorum Dominium *particulare actiuum*, & non solum *nouitium* nescio quod *Dominium in communi*, vel *passiuum*. Nonnulli ergo, qui in hac Theologicâ Republicâ Censuram gerunt, solitique sunt, quidquid cum ipsorum opinionibus minus congruit, publicum crimen interpretari; me neque vocatum, neque auditum indictâ causâ Senatu mouerunt. Nam captatâ, nescio vnde, Thesium quarundam occasione, vt ostenderent quàm grauiter accepissent sententiam illam meam de votorum solemnitate; han

Asser

Assertionem publicè tuendam proposuere. *Qui votorum solemnitatem, ac consequenter quamlibet eorum obligationem, non nisi ex sola Ecclesiæ institutione haberi asserit, malè consultus Theologus est: Qui verò addit, id sine errore in fide negari non posse, imprudenter æquo rigidius censet.* haud dubiè hic ego petor, qui, vt verum fatear, Refutationem expectassem, non conuitia: quæ tamen si à quibusdam philosophico solùm supercilio contemnuntur; (quòd sic facillimè exolescant) multò melius potuissem ego spernere demissione Christianâ. Verũ vt me collegi, sensi illa Thesi non tàm oppugnari sententiam meam de solemnitate votorum, quàm duorum Summorum PONTIFICVM auctoritatem imminui, & Dominium, quod Societatis Constitutiones permittunt ijs, qui absoluto Nouitiatu, emittunt vota simplicia (substantialia tamen Religionis) oppugnari.

Itaque debui hanc Defensionem adornare, quam secabo in partes tres.

In primâ ostendam, posse me primam positæ Assertionis partem pro meâ non agnoscere: Et, si agnoscere velim; modum illum loquendi à me vsurpatum, carpi non posse.

In alterâ docebo, verè votorum solemnitatem haberi ex solâ Ecclesiæ institutione.

In tertiâ meam contrariæ Propositionis censuram *æquo rigidiorem* non fuisse demonstrabo.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Modus ille loquendi. *Voti Solemnitas est ex solâ Ecclesiæ constitutione*, reprehendi non potest.

PRIMAM, inquam, illius Assertionis partem possum pro meâ non agnoscere: nec quisquam, vel ebrius, vnquam fuit, qui somniarit, *quamlibet* votorum *obligationem* esse ex solâ Ecclesiæ institutione. Cùm enim votum sit essentialiter Promissio facta Deo; Per votum Deo acquiritur Ius, vt præstetur res promissa: huic autem Iuri respondet in Vouente obligatio aliqua, & obligatio est effectus necessariò cõsequens Promissionem acceptatam: & ex communi Doctorum sententia votum necessariò includit intentionem se obligandi. imò *Sotus lib. 7. de Iust. q. 1. art. 2.* licet sentiat, posse quempiam Vouere absque intentione se obligandi; nihilominus asserit à Vouente contrahi obligationem: eo quòd obligatio sit inseparabilis à voto. Cui ergo, quæso, in mentem venire vnquam potuit, *quamlibet* votorum *obligationem* non haberi nisi ex sola institutione Ecclesiæ, si aliquam saltem habet ex sua ipsius natura & essentia: sed nimirum apud istos Censores nihil interest inter has duas voces *quamlibet* & *aliquam*. Vel sibi persuadent, eo ipso quòd quis asserat, solemnitatem votorum esse ex sola Ecclesiæ institutione; asserere consequenter debere, *quamlibet* eorum *obligationem* esse ex sola institutione eiusdem. quo quid absurdius fingi, aut imperitius dici potest?

Qui-

2 Quicunque, mi Homo, asserunt, votorum solemnitatem haberi ex solâ Ecclesiæ institutione, eo ipso agnoscunt solemnitatem in votis esse quid accidentale superadditum ab Ecclesiâ votorum essentiæ: quare consequenter agnoscunt potius inesse votis aliquam obligationem seclusâ omni institutione Ecclesiæ; cùm, sicut demonstratum est, à votorum essentiâ sit inseparabilis obligatio. igitur si consequenter agnoscunt *aliquam* obligationem in votis fluentem ab ipsorum naturâ, non possunt consequenter asserere, *quamlibet* esse ex solâ institutione Ecclesiæ. atque adeo prima illius Thesis pars ad me non spectat.

3 Et verò, nisi planè bardus sit, qui meam Consultationem legit; ex n. 39. intelligere facile potest, de quâ ego solemnitate locutus sim, nempè de ea, quam Aduersarij dicebant ex Iure diuino habere vim priuandi Dominio Vouentes Paupertatem: vt inde efficerent, Scholares Societatis, qui sunt verè ac propriè Religiosi, non posse post vota retinere Dominium bonorum suorum. Verba mea hæc sunt. *Rursus possunt obijcere Aduersarij solemnitatem in voto Paupertatis, quatenus priuat omni iure, ac Dominio bonorum temporalium, esse de Iure diuino. Sed contrà primò. quia iam docuimus antiquos Religiosos fuisse verè ac propriè Religiosos, & tamen Dominij capaces fuisse. Contra secundò. quia vt late probat Suarez de Religione to. 3. lib. 2. cap. 14. & to. 4. l. 3. c. 4. Basilius Pontius li. 7. de matrim. cap. 7. ferè omnes Iuris Pontificij Interpretes putarunt hanc solemnitatem in votis esse ex institutione Ecclesiæ, & non Iuris diuini.*

Nota

Nota diligenter illud *Hanc solemnitatem* (ex quâ scilicet oritur vis priuandi Dominio) & planè intelliges, me non affirmasse vniuersè solemnitatem votorum, ac multò minus *quamlibet* ipsorum *obligationem* esse ex sola institutione Ecclesiæ; sed *hanc solemnitatem.*

At enim eodem n.39. hæc addo: *hæc veritas, quòd solemnitas votorum sit ex solâ Ecclesiæ institutione, non potest sine errore in fide negari.* ergo neque negari debet, quin ipse sentiam vniuersè solemnitatem votorum esse ex solius institutione Ecclesiæ. 4

Primum responderi potest, id non sequi. Institutum enim meum erat ostendere, non esse de Iure diuino, vt votum substantiale Religiosæ Paupertatis exuat Vouentem Dominio; sed hunc effectum esse solius voti solemnis: vel, si aliquod aliud votum Paupertatis illum habet; habere aliunde, quàm ex Iure diuino, vel naturali; ac proinde cum voto simplici Paupertatis substantialiter Religioso Scholarium Societatis posse stare Dominium bonorum temporalium: quia hæc solemnitas, vt votum Paupertatis priuet Dominio, & illius capacitate, est ex solâ Ecclesiæ Constitutione inuenta. Quare illa mea propositio indefinita, est coarctanda ad hanc determinatam, vt accipiatur de *hac solemnitate* & de hoc effectu peculiari, de quo agebatur. 5

Deinde faciamus, me ita sensisse; faciamus asseruisse vniuersè, votorum solemnitatem esse ex solâ Ecclesiæ institutione, quid tum postea? Estne hæc 6

ne hæc Assertio à me primum prolata? Est duorum Maximorum Pontificum BONIFACII VIII. *cap. vnic. de vot. & vot. redem. in* 6. vbi sic ait. *Nos attendentes, quod voti solemnitas ex solâ Ecclesiæ constitutione est inuenta:* & GREGORII XIII. in Bullâ, *Ascendente Domino, pag.* 236. vbi sic. *Non considerantes voti solemnitatem solâ Eccesiæ constitutione inuentam esse.* Est omnium Canonistarum, vt verbis vtar *Pontij lib.* 7. *de matr. ca.* 7. *cum Gloss. in cap. rursus. qui cleric. vel vouent. Innocent. Ostiens. Archidiac. Io. Andr. Ancharan. Felin. Abb. Card.* Est summorum Theologorum, quos videre licet apud *Henriquez sum. lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 6. *litt. m. n. Et apud Pontium loc. cit. nempe Henrici, Heruæi, Gersonis, Aluari, Pelagij, Abulensis, Auctoris specul. coniug. Angles, Cordubæ, Mic. Medinæ, Malderi*, Est *Merceri*, Louaniensis; *Gamachæi*, Sorbonicæ Academiæ luminum *in tract. de matr. impediment.* vbi de voto. Est Summistarum primæ notæ *Astens. lib.* 8. *tit.* 18. *Rosell. v. Matrim. Imped.* 4. §. 2. *Angel. ibid. imped.* 5. his omnibus adde *Henricum Henriquez, Valentiam, Suarium, Azorium, Vasquesium, Sanchium, Leßium, Coninchum, Rebellum, Molinam, Laymannum, Filiuccium, Reginaldum, Ribadeneyram, Platum*, & quotquot è Societate hoc de argumento scripsere, quos tamen Auctores (absit verbo inuidia) Scholæ suspiciunt, ac venerantur. Si tot Societatis Alumni de Theologia non pessimè meriti; si Principes Summistarum: si Excellentes Theologi, atque in his S. Thomæ sectatores nec pauci, nec obscuri: si omnes Canonistæ: si duo Maximi, & (quod caput est)

Iurisc

Iurisconsultissimi Pontifices *malè Consulti Theologi* sunt; haud ægrè ferre debeo ego me tantis Nominibus accenseri. Malle possum cum his errare, quam cum meis Censoribus sapere. Sed vtri hac in re desipiant, aut errent; Docti, & à perturbationibus vacui iudicabunt.

Ex hactenus disputatis satis superque constare arbitror, si agatur de modo loquendi; non 7
posse culpari me, quòd asseruerim votorum solemnitatem haberi ex sola Ecclesiæ institutione. Vsurpaui verba, quæ Nobilissimi moralis, & Scholasticæ Theologiæ Doctores, quæ vtriusque IurisConsultissimi, quæ denique duo Christi Vicarij vsurparunt, & quidem vix apice immutato. si propterea *malè Consultus Theologus sum*, (iterum dico) sunt & illi.

SECTIO SECVNDA.

Voti solemnitas est reuera ex solâ Ecclesiæ Constitutione inuenta.

SEd enim neque iure me reprehendi posse 8
puto, si agatur, non de modo loquendi, sed de re ipsa. Euincam autem hoc, si pensiculatius examinauero, quid nomine *Solemnitatis* intelligatur: simulque ostendero, in quocunque eam consistere asserant Aduersarij, id vel non esse solemnitatem, vel, si ad solemnitatem aliquo modo pertineat; esse commune etiam votis simplicibus, ideoque in eo præcisè sumpto non consistere;

ſtere: vel denique, ſi in eo præcisè conſiſtat; eſſe ex ſolius inſtitutione Eccleſiæ. Sunt autem ſupponenda quædam tanquam certa.

9 Primum eſt, eſſe in Eccleſia Dei Statum aliquem verè, propriè, & ſubſtantialiter Religioſum, in quo tamen vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ ſunt ſimplicia, & carent ſolemnitate ex declaratione duorum Summorum Pontificum PII V. & GREGORII XIII. PIVS enim V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Dum indefeſſæ.* declarat, Societatem etiam quoad gradus Scholarium, & Coadiutorum formatorum, quorum vota ſunt ſolum ſimplicia, eſſe Religionem Mendicantem. GREGORIVS vero XIII. in Conſtitutione, cuius initium eſt *Aſcendente Dom.* non ſolùm expreſſe definit *prædictos Scholares, & Coadiutores ſemper fuiſſe, eſſe, & fore verè ac prepriè Religioſos, & ipſorum vota, etſi ſimplicia, ex* SED. APOSTOLIC. *inſtitutione eſſe verè ſubſtantialia Religionis vota*; ſed etiam declarat, *Aſſertiones contrarias pronunciatas, aut ſcriptas falſas omnino, & temerarias eſſe, & cenſeri debere*, addito præcepto *in virtute ſancta Obedientiæ, ac ſub pœnis Excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia, eo ipſo abſque aliâ declaratione incurrendis, contra quoſcunque, qui huiuſmodi Pontificiam definitionem, ac declarationem quoquo modo verbo vel ſcripto, directè vel indirectè auſi fuerint impugnare, vel eam, niſi quantum verba ipſa ſonant, interpretari.* Accedit auctoritas ſacroſancta *Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.* vbi nullâ factâ diſtinctione graduum, vel perſonarum,

narum, quæ in Societate sunt, illam absolutè appellat *Clericorum Religionem*, & consequenter Scholares & Coadiutores, qui in ea emittunt vota solùm simplicia post biennium probationis, censet fieri verè ac propriè Religiosos, sicut fiunt in alijs Religionibus Nouitij Vouentes post annum, de quorum formâ profitendi ibi Concilium agebat, & excipiebat eos, qui in Societate probantur & admittuntur. vide *Less. lib. 2. de Iust. cap. 41. dub. 1. n. 8.*

Secundum est. Cùm solemnitas, metaphysicè loquendo, sit quædam quasi forma, ex qua votum denominatur solemne; optimè explicari, quid ipsa sit in se, per suos effectus, quos producit in emittentibus vota solemnia. Sic BONIFACIVS VIII. *in cap. vnic. de vot & vot. relax. in 6.* pro eodem sumpsit *votum solemne, &, quod sit efficax ad dirimendum matrimonium.* Sic etiam communiter Doctores *in cap. cum ad Monasterium. de stat. Monach. & in cap. non dicatis. 12. q. 1. & cap. quia ingredientibus 12. q. 3. & in Authent. ingressi, & Authent. nunc autem. C. de sacros. Eccles.* volentes explicare, in quo consistat solemnitas voti Paupertatis; explicant per illum effectum reddendi incapacem proprietatis, & Dominij, ita vt, sicut votum solemne Castitatis Religiosæ dirimit præcedens matrimonium ratum, non consummatum, & irritat subsequens; ita etiam votum solemne Paupertatis excludat à Vouente, rerum omnium Dominium, si quod fortè habebat, & omnem acquisitionem in posterum impediat.

Sic etiam *Innoc. in ca. olim. 2. de priuil. Abb. in cap. ex rescripto de iureiur. not. 3. & ibidem Felin.* & alij *apud Suarez tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 13.* explicant solemnitatem voti Obedientiæ per illum effectum, quòd solemniter illud professi non possint validè contrahere obligationem vllam, saltem Ciuilem, propter abrenunciationem propriæ voluntatis, quam fecerunt Vouendo Obedientiam. Consentiunt autem omnes Authores, hoc modo explicatas vororum solemnitates consummari in eo, quòd Personæ professæ solemniter, perpetuò retineant prædictas incapacitates ad Matrimonium, Dominium, & Obligationem ciuilem: nec possint vllo tempore his vinculis liberari per vllam potestatem, saltem Papali, *inferiorem.*

11 Tertium est. Votum solemne, seu solemnem Professionem multa includere & requirere.

12 Primò. Vt sit Promissio facta Deo voluntariè ac liberè, & hoc est quasi genus summum, quod participatur ab omnibus votis in quacunque materia nuncupatis.

13 Secundò. Vt promittatur Deo Paupertas, Castitas, Obedientia; & hoc est tanquam genus proximum, quod diuiditur per tres differentias. (Non quæro nunc vtrum sint essentiales, an accidentales.) Nam conueniunt in hoc genere. 1. Vota simplicia Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, quæ emittuntur extra Religionem ab Ecclesiâ probatam. 2. Vota simplicia, tamen substan-

ſtantialia, quæ faciunt Scholares & Coadiutores formati in Societate IESV, quæ eſt Religio probata. 3. Denique vota ſolemnia Profeſſorum in omnibus Religionibus.

Tertiò Vt prædicta vota fiant in aliquâ con- 14
gregatione, quæ ſit approbata ab Eccleſia, & non ſolùm tanquam Cœtus hominum pius & laudabilis, ſed tanquam Religio. Hoc dixerim; quia ſunt in Eccleſia aliquæ Congregationes tam virorum, quàm mulierum ab Apoſtolicâ Sede approbatæ, in quibus obſeruantur hæc tria vota, non tamen illæ Congregationes ſunt Religiones, nec illæ perſonæ Religioſæ.

Quartò Vt ijſdem votis emiſſis in Religione 15
approbata, adiuncta ſit ſuijpſius traditio, & quaſi donatio, ratione cuius vouens nouo quodam titulo poſſidetur à Deo, & tranſcribitur in ius, & poteſtatem Religionis, ac Prælatorum, & Religio acquirit in Profeſſum ius quoddam Dominatiuum, ſeu malis, Paternum, ſeu mixtum, vi cuius, qui ſe tradidit, tenetur parêre in omnibus iuxta Regulam: nec ſe poteſt amplius à tali iure ſubtrahere. Sic accidit illis, qui fiunt ſerui iure natiuitatis, vel belli, vel emptionis, aut alterius contractus. Eſt tamen in poteſtate Religionis, & Prælatorum, hoc ius remittere, & donationem retrocedere. Quemadmodum Herus ſeruum ſuum manu mittere poteſt, neuter tamen neque Religioſus, neque ſeruus poteſt ſe his nexibus expedire.

Quintò. Vt votum Paupertatis reddat vouen- 16

tem incapacem Dominij, votum Castitatis inhabilem ad Matrimonium, & Obedientiæ auferat facultatem contrahendi obligationem saltem ciuilem sine Superiorum consensu, vt supra explicatum est.

17 Sextò. Vt Religio, & illius Prælati postquam semel se tradentem Religioni acceptauerint, ipsiusque vota absolutè, & in perpetuum admiserint, non possint vllo modo Professis vororum vincula relaxare, nec donationem factam retrocedere. Licet enim ex legitima causa possit Professus aliquando tanquam incorrigibilis eijci; eiectus tamen remanet Religiosus, & votis obstrictus: quæ est communis sententia, vide *Sylu. verb. Religio. 6. qu.12. Nauarr. de Regular. comm.2. num.35.*

18 Septimò. Præter supradicta, votum solemne, vt ritè factum censeatur, postulat, vt in ipsius emissione obseruentur ea omnia, quæ vel Iure communi positiuo, vel Statutis particularibus cuiusque Religionis præscribuntur: quorum aliqua sunt substantialia, & necessaria ad voti validitatem, alia accidentalia, & requisita tantùm ex decētiâ. Primi generis sunt, vt Religio sit approbata à Romano Pontifice: vt profitens careat omnibus impedimentis essentialibus, quæ vel de Iure communi, vel Statutis peculiaribus arcent à Religione, in qua professurus est, & expleuerit ætatis annum decimum sextum, & peregerit annum integrum, & continuum Probationis: vt

Ad-

Admittens Professionem habeat legitimam auctoritatem: vt denique in omnibus seruetur forma substantialis in vnaquaque Religione præscripta. Secundi generis sunt illæ ceremoniæ & circumstantiæ, sine quibus adhuc Professio esset valida, v.g. vt Professio fiat in Ecclesiâ, inter Missarum solemnia, Sacerdote celebrante, & sacram Eucharistiam manibus tenente, &c.

His positis, discurrendum est per singula capita hactenus enumerata, & demonstrandum, vt suprà dixi, in quocunque asserant Aduersarij consistere votorum solemnitatem, de quâ inter Doctores disceptatur; vel in eo non consistere; vel, si illud ad solemnitatem pertineat; in eo præcisè non esse positam, & esse ex Iure tantùm Ecclesiastico: vel denique, si in eo præcisè sita sit; non esse ex naturâ rei, vel Christi institutione: sed ex solius constitutione Ecclesiæ. 19

Incipiendo autem à facilioribus, exploratissimum est, solemnitatem votorum non consistere in obseruatione eorum, quæ enumerata sunt hoc septimo & vltimo capite, & requiruntur ex Iure communi positiuo, vel Statutis particularibus substantialiter, seu accidentaliter ad Professionem. 20

Primò probatur generaliter de vtrisque, quia ex suppositione, & ipsorum confessione Aduersariorum, hæc omnia sunt ex solius Ecclesiæ constitutione.

Secundò probatur in particulari de substantialiter requisitis. quia hæc obseruantur etiam à

Scholaribus & Coadiutoribus formatis in Societate IESV in emissione votorum suorum, &, si non obseruarentur, vota essent nulla: & tamen illorum vota non habent solemnitatem, sed sunt simplicia. ergo non potest in hoc solemnitas consistere. quandoquidem non potest inesse alicui subiecto forma aliqua, & non tribuere illi denominationem, & effectum talis formæ.

Tertiò probatur de accidentaliter requisitis, quia eo ipso quòd sunt accidentalia, vota possunt habere solemnitatem sine illis. Ex quo confirmatur doctrina *Caietani 2.2.q 88.art.7.* asserentis, non posse solemnitatem consistere in benedictione, & consecratione (in quibus iuxta quorundam expositionem *S.Thomas ibidem* ponit solemnitatem votorum) confirmatur, inquam, ea doctrina, si per benedictionem, & consecrationem intelligantur aliquæ preces & orationes cum inuocatione Dei: quia hæc omnia non interueniunt in Professione tacitâ, & *eodem Caietano* teste in Religione Dominicana non adhibentur, quando fit Professio expressa, sed post peractam Professionem.

21 Deindè si considerentur ea, quæ diximus includi à voto solemni, primo, secundo, tertio, & quarto capite, probatur, in illis non consistere solemnitatem, hoc modo. Quòd vota Religiosa sint Promissio facta Deo, est ex ipsius voti natura: quòd profitens voueat Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam: quòd hæc voueat in Congregatione approbata ab Ecclesia pro vera Religione:

gione: quòd prædicta vota habeant adiunctam suijpsius traditionem, & quasi donationem irreuocabilem ex parte Vouentis, hæc, inquam, omnia sunt ex institutione Christi, qui fundauit statum Religiosum: & non potest ostendi fuisse vnquam in Ecclesia Religiosum statum, qui cuncta hæc non includeret; & ideò votum, quod habet hæc omnia, à quibusdam dicitur habere *solemnitatem essentialem*, vt benè aduertit *Basilius Pontius lib. 7. de matr. c. 7. n. 1. 15 ib. 17.* sed hæc non est solemnitas, de qua controuertitur. quia controuertitur de aliqua quasi forma constitutiua voti solemnis *in esse solemnis*, & consequenter distinctiua ab omnibus alijs votis, quæ solemnia non sunt. Iam verò etiam vota Scholarium, & Coadiutorum formatorum in Societate habent prædictas quatuor cōditiones, cùm sint vota & consequenter promissio; & sint vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ; & fiant in Congregatione approbata ab Ecclesia tanquam vera Religione: & habeant adiunctam suijpsius traditionem ex declaratione GREGORII XIII. *in sæpè allatâ Constitutione*, Ascendente Domino, *pag. 237.* vbi sic: *triaqúe huiusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, vt substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaq; emittentes, in statu Religionis verè constitui; quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant,* atque actu tradunt, *seq; diuino seruitio in eâ mancipant.* & tamen hæc vota sunt simplicia, & non solemnia. ergo solemnitas, quæ resultat ex his quatuor conditionibus, & à Doctoribus vocatur *solemnitas essentialis*, non est solemnitas, de qua disputamus,

quia disputamus de aliquo, quo votum solemne distinguatur à simplici quocunque; At per illa non distinguitur à votis simplicibus emissis à Scholaribus & Coadiutoribus Societatis; adeóque *Basilius Pontius*, qui ab Auctoribus illius Thesis in Scholio lit. A. *notanter* legi iubetur contra me, extra chorum saltare cogitur.

22 Tertiò. Non potest negari, pertinere ad votum solemne (à quo nullo modo disiungi potest) illam efficaciam reddendi Vouentes incapaces Dominij, Matrimonij, & Ciuilis obligationis contrahendæ: quod erat quintum caput ex supra numeratis. Sed primum in hac efficaciâ inhabilitandi non consistit præcisè solemnitas, de qua agimus. probatur eodem argumento. quia eandem efficaciam habent etiam vota Coadiutorum formatorum in Societate, vt passim habetur in ipsius Constitutionibus *p.6.c.2.§.12.* & in *allegatâ Constitutione* Ascendente Domino. *pag.* 231. vbi sic: *quibus* (votis) *emissis tam hi, qui spirituales, quàm qui temporales Coadiutores formati fuerint, sunt omnis hæreditariæ successionis incapaces, nihilq; omnino proprij iuxta Constitutiones habere possunt.* Et *pag.* 240. sic: *quinimò omnes* (emittentes vota simplicia) *ad matrimonium contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos & irritos esse, prout irritos facimus & annullamus.* quæ tamen vota simplicia sunt, & per hoc ab ijs solemnia non distinguuntur. Ergo, &c. Deinde, licet in hac efficaciâ inhabilitandi consisteret solemnitas, de quâ controuersia est; illa tamen, vti infra demonstrabo,

non

non est ex Iure naturali vel diuino: sed Ecclesiastico.

Reliquum ergo est, vt, quando in nullo ex 23
supradictis consistit votorum solemnitas, de quâ disputamus; consistat reuerâ in duobus, & quasi ex duobus integretur. Primum est *illa efficacia reddendi professum incapacem Dominij, matrimonij, & contrahendi obligationem ciuilem absque Superioris consensu.* Alterum est *traditio, & donatio suijpsius, & mancipatio ad obsequia Religionis & Dei absoluta, & ex vtraque parte perpetua, & irretractabilis*: ita vt nec Professus possit se arctissimis hisce vinculis expedire: nec Religio aut Religionis Prælati eundem liberare (quæ est conditio supra relata 6. loco) Constat autem inter Doctores, in his duobus consistere solemnitatem votorum, & essentiam Professionis, quæ est incommunicabilis omnibus alijs votis non solemnibus: & de hac solemnitate explicatâ per istos effectus, est tota controuersia, an sit ex solius Ecclesiæ institutione, quod ego in mea Consultatione asserui, & nunc etiam assero: an verò ex naturâ rei, & Iure diuino, quod aiunt illius Thesis Auctores, & mordicus defendunt recentiores Thomistæ, quorum *Franciscus Syluius. 2. 2. q. 88. art. 7.* sic explicat sententiam facillimè & breuissimè. *Quamuis votum eo ipso sit solemne, quòd sit suijpsius promissio, ac traditio, & legitima absolutaq; acceptatio; Ius tamen diuinum non constituit.* Quis, ad quid, & quomodo *possit se tradere, & acceptari, vt eius acceptatio sit legitima. Sed Ecclesia per suas Constitutiones decreuit* Quis,

Quas

Qualis *possit seipsum tradere*, Quis & Qualis, *Vice Dei acceptare*. Quando, & ad Quid. *Quapropter voti solēnitas dicitur esse ex solâ Ecclesiæ institutione, quia ex solâ Ecclesiæ institutione habetur*, Quis & Quomodo *possit vouendo se tradere & acceptari. Quod autem perfecta traditione, & acceptatione legitimâ positis, votum sit solemne, ex naturâ rei sequitur. Quomodo constitutionis humanæ est, vt hic, aut iste sit Rex & Dominus. Posito autem, quod hic aut iste sit Rex; ex Iure naturæ est, vt qui sunt subiecti, obedire debeant.*

24 In hac doctrina videntur illius Auctores votorum solemnitatem, quam contendunt esse de Iure diuino & naturali, ponere in eo, quod facta legitima traditione & acceptatione (est autem legitima, si obseruentur omnia, quæ præscribuntur à Iure positiuo, vt necessaria ad Professionem) votum sit solemne: hoc est, Professus sit perfectè & absolutè, & in perpetuum Religioni mancipatus, & Deo: nec per vllam humanam potentiam huiusmodi donatio; & mancipatio retractari queat. Solemnitatem verò Iuris Ecclesiastici videntur ponere in eo, quod in emittendis votis, & in illis acceptandis, & facienda suijpsius traditione, & eadem recipienda, obseruentur omnes conditiones requisitæ ex Iure Ecclesiastico: & hanc solemnitatem addunt esse illam, de qua loci sunt BONIFACIVS VIII. & GREGORIVS XIII. quando dixerunt, esse ex solius Ecclesiæ Constitutione inuentam.

Hanc

Hanc ſententiam hoc modo propoſitam & 25
explicatam, qua dicitur voti ſolemnitas eſſe ex natura rei, & Iure diuino, probant Aduerſarij tribus potiſſimum argumentis.

Primò. Quia vt dicitur *in cap. cum ad Monaſteriũ* 26
de ſtat. Monach. abdicatio Paupertatis & cuſtodia Caſtitatis, adeò eſt annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere, ergo ſignum eſt à poſteriori, votorum illorum ſolemnitatem eſſe Iuris naturalis, & diuini. Nam ſi eſſet Iuris tantùm Eccleſiaſtici; Summus Pontifex poſſet vtique licentiam indulgere.

Secundò. Profeſſus per Profeſſionem eſt Deo 27
donatus, & conſecratus; donationem Deo factam non poteſt remittere, niſi ipſe Deus. Quod verò Deo ſemel conſecratum, quamdiu manet eadem materia & forma, nõ poteſt non eſſe cõſecratum. Ergo talis donatio non poteſt per vllã humanam poteſtatem remitti, nec talis conſecratio auferri. Ergo ſignum eſt, non eſſe Iuris tantùm Eccleſiaſtici, ſed naturalis, & diuini.

Confirmatur, quod dictum eſt de conſe- 28
cratione: quia illud *eſſe Deo conſecratum*, oritur intrinſecè ex ipſa conſecrationis actione, quæ iam præterijt. Quod autem ſemel præterijt, ac fuit, non poteſt non eſſe præteritum, & non fuiſſe. Ergo cùm in hac conſecratione ſita ſit ſolemnitas voti; ſignum eſt, eſſe Iuris naturalis, ac diuini.

Tertiò per Profeſſionem ſolemnem vouens ſe 29
donat Religioni in perpetuum, & Religio illam

dona-

donationem acceptat absolutè, & intendit esse irretractabilem. Ergo non potest retractari: ergo signum est esse plusquam de Iure humano; ergo naturalis, & diuini.

30 Circa hanc sententiam tria faciam: primò ostendam, non posse subsistere illam explicationem Aduersariorum, qui, vt eludant argumentum à nobis ductum ex testimonio BONIFACII VIII. & GREGORII XIII. asserentium *vtì solemnitatem ex solius Ecclesiæ Constitutione inuentam esse*; aiunt hos Pontifices locutos fuisse de solemnitate sumptâ pro Obseruatione omnium conditionum, quas Ecclesia in emissione Professionis requirit: non autem pro vi, & efficaciâ inhabilitandi ad Dominia, Matrimonia, & Ciuiles obligationes, nec pro illâ omnimodâ indissolubilitate traditionis suijpsius, quæ est solemnitas, de qua disputamus.

Secundò. Demonstrabo, Aduersarios, dum dicunt (suppositâ obseruatione omnium, quæ in emittendâ Professione seruanda sunt de Iure naturali, diuino, & Ecclesiastico) sequi ex natura rei, & de Iure naturali, vt vota sint solemnia; aut supponere falsum, aut incidere in nostram sententiam, qui asserimus, solemnitatem esse ex solâ institutione Ecclesiæ.

Tertiò soluam argumenta in contrarium allata.

31 Quod spectat ad PRIMVM, dupliciter impugnatur illa explicatio, quâ dicuntur illi Duo Pontifices locuti de solemnitate sumptâ pro obser-

seruantiâ omnium conditionum requisitarum Iure Ecclesiastico in emissione Professionis.

Primò. Quia votum Continentiæ, quod solemnizatur in susceptione Ordinis sacri, nullam 32
conditionem postulat obseruari necessariò de Iure Ecclesiastico: Et satis habet, si obseruentur illa, quæ sunt de Iure naturali; & diuino. patet, quia dummodò suscipiens Subdiaconatum habeat vsum rationis, qui iure naturæ requiritur ad contrahendam obligationem continentiæ: & habeat intentionem debitam suscipiendi illum ordinem: & Episcopus adhibeat in ordinatione debitam materiam & formam, & operetur cum legitima intentione; (quæ omnia sunt de iure diuino) votum sic Ordinati est solemne, & tamen nulla hîc intercessit obseruantia vllius conditionis, quæ sit de Iure tantùm Ecclesiastico. Constat enim, licet ordinandus non expleuerit annum 21. nec habeat sufficientem titulum (quæ duo sunt de Iure positiuo) constat, inquam, nihilominus illam ordinationem esse validam, & votum solemne. Ergo solemnitas voti continentiæ, quâ isti dicunt esse Iuris Ecclesiastici, & de quâ affirmant locutum fuisse BONIFACIVM VIII. qui egit etiam de voto, quod solemnizatur in susceptione Ordinis sacri, non est posita in obseruatione conditionum requisitarum ex constitutione Ecclesiæ: sed in illâ efficaciâ inhabilitandi, & omnimodâ Status immobilitate, quæ in istorum sententiâ est Iuris naturalis, vel diuini: in nostrâ solum Ecclesiastici.

33 Secundò. Quia illa explicatio solemnitatis, Aduersariorum expressè repugnat menti, & sententiæ BONIFACII & GREGORII. BONIFACIVS enim *in illo cap. vnic. de vot & vot. redemp. in 6.* apertè loquitur de efficaciâ, quam habet votum Castitatis ad dirimendum matrimonium. Sic enim proponit quæstionem. *Quod votum dici debeat solemne, &* ad matrimonium dirimendum efficax, *nos consulere voluisti*, & Respondet, *nos autem attendentes*, quod voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta; *præsentis duximus declarandũ oraculo Sanctionis, illud solum votum dici debere solemne*, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, *quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut Professionem expressè, vel tacitè, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* Ex quibus verbis liquet, BONIFACIVM locutum fuisse de solemnitate, de quâ disputamus; hoc est de efficaciâ dirimendi matrimonij. Et cum dicat apertè, *hanc inuentam esse ex Ecclesiæ constitutione*; patet illam explicationem Aduersariorum esse contra mentem huius Pontificis.

34 GREGORIVM verò XIII. sicut imitatus est in modo loquendi BONIFACIVM VIII. egisse de eâdem solemnitate: & non de eâ, quæ consistit in obseruatione conditionum requisitarum ab Ecclesiâ; probatur euidenter, quia loquebatur de solemnitate, quam Obtrectatores Societatis aiebant, esse de Iure naturali, & diuino, & requiri ad essentiam votorum substantialium Religionis: & esse efficacem ad priuandum Dominio, diri-

dirimendum matrimonium, & inducendi illam omnimodam & perpetuam ex vtrâque parte traditionem Religioni. Et quia videbant, his effectibus carere, vel omnibus, vel quibusdam, vota Scholarium, & Coadiutorum formatorum in Societate; contendebant, eos non esse verè, ac propriè Religiosos. GREGORIVS ergò videns, hæc atque huiusmodi ab illis affirmari, quòd nõ considerarent *voti solemnitatem esse ex solâ Ecclesiæ constitutione inuentam* : Et existimarent esse Iuris naturalis, & diuini; contrario prorsus fundamento nixus definit *Scholares, & Coadiutores prædictos esse, fuisse, & fore verè ac propriè Religiosos*: etiamsi ipsorum vota carerent vel omnibus, vel aliquibus ex illis effectibus, quos habent vota solemnia: quia solemnitas, quæ declaratur per istos effectus, non est Iuris naturalis aut diuini, sed Ecclesiastici. Quasi diceret GREGORIVS, quia solemnitas voti & illa efficacia inhabilitandi &c. non est Iuris naturalis, nec diuini, sed solùm ex constitutione Ecclesiæ; fuit in potestate Sedis Apostolicæ admittere vota Scholarium, & Coadiutorum in Societate, vt vota substantialia Religionis, vtpotè habentia omnia illa, quæ requirũtur de Iure naturali, & institutione Christi sine solemnitate, & sine illis effectibus, vel omnibus, vel quibusdam. Vnde licet traditio sui, quam faciunt Scholares, & Coadiutores formati, non sit ex vtraque parte immobilis, & irretractabilis: & Scholares retineant bonorum suorum Dominiũ, sunt nihilominus verè ac propriè Religiosi. Quia

illorum votis, ac traditioni nihil deest, quod postulet Status Religiosus ex Iure naturæ, vel institutione Christi: sed solùm solemnitas, quæ est ex solius Ecclesiæ constitutione inuenta: Et sicut eidem Ecclesię placuit, hanc solemnitatem adiũgere votis ac traditioni aliarum Religionum, & Professorum in Societate; ita placuit illam non adnectere votis, & traditioni Scholarium, & Coadiutorum formatorum Societatis eiusdem. Ex quibus apertè constat, GREGORIVM XIII. locutum fuisse de solemnitate, de quâ est quæstio, & non de illâ obseruantiâ Conditionum requisitarum ex Iure Ecclesiastico, de quâ non poterat esse dubium, quin esset Iuris Ecclesiastici tantũ: quam non poterant negare Societatis Obtrectatores, habere vota simplicia Scholarium, & Coadiutorum, quæ non fuissent valida & multominus substantialia, nisi in illis emittendis obseruata fuissent cuncta, quę tanquam necessaria obseruanda sunt de iure positiuo, vide *Basilium Ponzium de matrim. lib. 7. c. 7. n. 3. Suar. de Relig. to. 3. lib. 2. c. 8. num. 7. & 8.* vbi doctè & solidè confutant illã Aduersariorum expositionem textuum BONIFACII & GREGORII.

35 Quoad secundum, supponunt falsum Aduersarij, si (posito quod in emissione votorum Religiosorum obseruentur omnia quæ sunt Iuris naturalis, diuini, & Ecclesiastici) existiment, eo ipso & ex natura rei oriri solemnitatem, de qua disputamus, hoc est, efficaciam inhabilitandi ad Dominium, Matrimonium, & contrahendum obli-

obligationes ciuiles, & inducendam traditionem Religiosi ex vtrâque parte irretractabilem.

Primò probatur. Quia in emissione votorum 36
Scholarium Societatis IESV ante Constitutionē GREGORII XIII. *Ascendente Domino*, quâ declarat, eos semper fuisse Religiosos, obseruabantur omnia, quæ sunt Iuris naturalis, diuini, & Ecclesiastici (alioquin non fuissent valida) & tamen illa vota non habebant vllum ex supradictis effectibus (licet nunc post Gregorianam Constitutionem voto Castitatis sit adiuncta efficacia dirimendi matrimonium post contractum.) Ergo solemnitas, de quâ disputamus, non consistit in obseruatione omnium conditionum requisitarum ex Constitutione Ecclesiæ, sed in aliquo alio.

Secundò probatur, quia si votum Paupertatis 37
& Castitatis Religiosæ ex natura sua est efficax ad inducendam incapacitatem Dominij, & Matrimonij; id vel habet ex natura ipsorum votorū per se sumptorum, vel quatenus sunt adiuncta traditioni, quam suijpsius Religiosus facit Religioni, & Deo, & illa acceptatur à Prælatis. Atqui non habent illa vota prædictam efficaciam neque præcisè ratione sui, neque ratione traditionis adiunctæ. Ergo nullo modo ex ipsorum Votorum natura. Maior huius argumenti patet, quia nihil aliud est in votis, quàm ipsorum natura, & traditio annexa, alia enim sunt extrinseca, & de iure humano positiuo. Consequentia est clara. Probatur ergò minor, quoad primam partem,

quia votum ex natura sua præcisè sumpta, solũ habet, vt vouens voluntariè ac liberè promittat, quæ sunt in ipsius potestate: ac proinde materia voti sunt tantum actus humani, & eorum omissiones. Hinc fit, vt vouens Paupertatem, teneatur (si talem habuit intentionem, vt habet omnis, qui vouet in Religione) abdicare omnem administrationem, & vsum bonorum suorum; non disponere de illis vllo modo absque consensu Superiorum: non admittere Dominium vllius rei sine eorundem licentia, similiter vouens Castitatem, tenetur abstinere ab omnibus actibus venereis tam externis, quàm internis, tam illicitis, quàm licitis, quales sunt in matrimonio. & ratio est, quia omnia supradicta sunt vel actus humani, vel eorundem omissiones: & consequenter in potestate vouentis. At cum incapacitas Dominij, vel Matrimonij sint priuationes capacitatis, & facultatis cuiusdam moralis; non est in potestate vouentis seipsum huiusmodi facultatibus spoliare. Sicut accidit in potentijs naturalibus. atque adeò potest v.g. quis vouere se non locuturum tali loco & tempore, non aspecturum hæc, vel illa obiecta; non potest tamen per vota hæc, priuare seipsum facultate & potentia locutiua, aut visiua.

Probatur eadem minor quoad secundam partem. quia traditio, & donatio suijpsius etiam acceptata ex natura sua, de consensu partium est retractabilis; cum nihil sit tam naturale, quàm vt per illas causas, per quas obligatio contrahitur,

per

per easdem dissoluatur, vt ait Iustinianus in Institutis.

Neque obijcias primò, traditionem, & dona 38
tionem Religiosam dicere aliquem Statum. quia vt probaui in Consultatione, ad naturam Status satis est, si is, qui se tradidit, & concessit in ius alterius, non possit se subtrahere, vt patet in Seruis, qui licet possint manumitti, tamen dicuntur esse in Statu.

Neque obijcias secundò, traditionem Reli 39
giosam fieri non tantùm Religioni, sed etiã Deo: ac proinde per humanam potestatem non posse remitti. Hoc enim falsum est, cum à Deo sit in Ecclesia relicta talis potestas. Et confirmatur, quia etiam per votum simplex seiunctum à traditione, acquiritur Deo aliquod Ius quod nihilominus à potestate Ecclesiasticâ relaxatur.

Dicent Aduersarij, solemnitatem in votis 40
sequi ex natura rei, si supponatur Obseruantia omnium conditionum requisitarum ex constitutione Ecclesiæ. quia vna ex his conditionibus est, *vt qui se tradit Religioni, absolutè & in perpetuum seipsum tradat, & illum admittens acceptet illam traditionem absolutè, & in perpetuum, & sine facultate vllo tempore eam rescindendi* quod videntur significasse, quando dicebant ex Constitutione Ecclesiæ esse *ad Quid* se *Quis tradat*, & *ad Quid acceptetur*. posito autem quod quis se *tradiderit absolutè & in perpetuum, & admittens pariter in perpetuum, & absolutè acceptauerit*; ex naturâ rei sequitur, vt prædicta traditio non possit vnquam retractari, & conse-

quenter Professio sit solemnis, & hæc solemnitas sit ex rei ipsius natura, non autem ex Iure Ecclesiastico.

41 Sed si hoc dicant; iam incidunt in nostram sententiam, qui asserimus solemnitatem voti esse ex sola constitutione Ecclesiæ. quandoquidem ipsi vnum ex requisitis Iure Ecclesiastico affirmãt esse, *vt traditio & donatio Religiosa fiat, & acceptetur absolutè & in perpetuum, & ex vtraque parte irreuocabiliter*: ex qua sola conditione, vt probatum est hactenus, eadem traditio Religiosa habet, vt sit irremissibilis.

42 Nec potest probari vlla ratione modus loquendi Aduersariorum, qui aiunt, supposita hac conditione, quæ est ex solius institutione Ecclesiæ; ex natura rei sequi, vt vota sint solemnia.

43 Probatur primò. Quia natura votorum Religiosorum per se spectata non habet istam solemnitatem. quia, vt sæpè dixi, vota Religiosorũ primis sæculis, & nunc vota Scholarium Societatis, habebant, & habent naturam, & essentiam votorum Religiosorum: & non habebant, nec habent talem solemnitatem. Vnde si vota Professorum illam habent; non habent ex illa naturâ & essentiâ, quæ postulatur à Iure naturali, & diuino: sed quæ de nouo constituta est à voluntate & ordinatione Ecclesiæ, & consequenter oritur non ex illa naturâ, quam, vt ita dicam, dedit illis Ius naturæ, & Christus, sed quam tribuit Ecclesia. Declaratur exẽplo: Paries albus, vt sit disgregatiuus visus, non habet ex natura, & essentiâ

parie-

parietis, sed ex naturâ parietis albi: albedinem autem paries non habet ex suis intrinsecis principijs, sed ab agente extrinseco.

Secundò. Ille modus loquendi Aduersario- 44
rum, qui dicunt (posita obseruantiâ illius Conditionis Iuris Ecclesiastici, quòd vota, & traditio sint facta, & acceptata ex vtraque parte absolutè) sequi ex natura rei solemnitatem; impugnatur ex absurdis, quæ hinc nascuntur. Etenim hinc fit vt quam plurima, quæ ab omnibus Doctoribus dicuntur esse simpliciter, & absolutè de Iure positiuo humano, sint de Iure naturali. v.g. quòd testamentum conditum sine legitimo numero testium sit nullum: quòd donatio vltra 500. solidos non insinuata regulariter sit nulla: quod mutuum datum filiofamilias in multis casibus non obliget: quod matrimonium contractum sine Parocho, & duobus testibus sit irritum, vbi Tridentinum est receptum: quod Regia potestas, & seruitus sint Iuris naturalis. & ratio est. quia in his omnibus materijs, (suppositis humanis Constitutionibus, & legibus) necessario sequitur, vt sint vel nulla, vel valida, quæ fiunt: & tamen nemo dicit, prædicta esse ex natura rei, vel Iuris naturalis, sed positiui humani. imò ex istorum sentētia, & modo loquēdi sequitur, vt nulla omnino detur obligatio Iuris positiui; sed omnis, & quæcunque sit Iuris naturalis. patet, quia supposito, quòd leges sint latæ ab habente potestatem, ob debitum finem, & legitima forma, & omnibus requisitis; ex natura rei sequitur, & naturale lu-

men dictat, leges esse obseruandas: ergo omnis obligatio legum positiuarum non erit positiua, sed naturalis. Quis autem, exempli gratia, dicat obseruationem ieiunij quadragesimalis, & festorum dierum, & obligationem audiendi Missam, confitendi semel in anno, communicandi in Paschate, esse Iuris naturalis?

45 QVOAD TERTIVM circa solutionem argumentorum, imprimis illa omnia videntur huc tendere, vt probent, vota Religiosa esse penitus indispensabilia, & illam traditionem suijpsius factam Religioni, esse omnino irretractabilem, postquam facta est, & acceptata. Sed hoc non impedit, quominus voti solemnitas possit esse de Iure tantùm Ecclesiastico, &, vt infra ostendam, non desunt Auctores, qui, licet sequantur sententiam, quæ affirmat, solemnitatem voti esse tantũ Iuris Ecclesiastici, putant tamen contrariam esse probabilem, quæ affirmat, vota esse omninò indispensabilia. Et non video repugnantiam in eo, quòd vota sint indispensabilia, & tamen solemnitas sit solùm Iuris Ecclesiastici.

46 Deinde respondeo ad singula argumenta proposita. Ad primum enim communiter Canonistæ respondent cum Theologis, Papam non posse dispensare, vt Monachus manens Monachus, non seruet Castitatem, & Paupertatem: quod est verissimum; at si Papa separet à Monacho Monachatum, ac de Monacho faciat non Monachum, ille iam non tenebitur seruare Paupertatem, & Castitatem: & ratio illius textus hoc persua-

persuadet, vt benè notauit *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 17. n. 8* fundatur enim in cõnexione vnius cum alio: hoc est Monachatus cum eo, qui est Monachus: Et ideò *illud cap. cum ad Monasterium*, solùm probat, permanente connexione Monachatus cum Monacho, non posse Papam dispensare: quod verissimum est. Sic paries albus (vt exemplo *Caietani* vtar) vt albus est, necessariò est disgregatiuus visus; & dum manet albus non potest non esse talis: at remota albedine (quod sine dubio fieri potest) paries non est amplius disgregatiuus. Itaque Aduersarij verè argumentantur solùm loquendo in sensu compositò, non autem in diuiso.

Ad secundi argumenti priorem partem, quæ erat de donatione facta Deo, patet ex dictis. 47
quis enim donatarius prohibitus vnquam est donationem factam inter viuos remittere? & nullo ex capite ostendi potest potestatem à Christo relictam in Ecclesia ligandi, & soluendi, non extẽdi etiam ad hoc. Quod enim in votis Religionis possit solùm Petri successor, & Christi Vicarius dispensare, constat inter omnes, hoc ~~esse solum~~ certum est ex Iure Ecclesiastico. Ex quibus patet etiam responsio ad tertium argumentum, quod erat de donatione facta Religioni, & à Religione acceptata absolutè, & in perpetuum. Nam si donatio facta Deo est retractabilis; multò magis facta nõ Deo, sed hominibus.

Ad posteriorem ergò partem eiusdem argu- 48
menti secundi, quæ erat de consecratione, (in

qua

qua consecratione multi Thomistæ sentiunt, cõsistere solemnitatem) primum respondeo cum *Caietano ad art. 7. q. 88. 2. 2.* stare posse eiusmodi consecrationem cum voto simplici, ac consequenter non potest in eo esse posita solemnitas, (cum sit differentia distinguens votum solemne à simplici) quod accideret, si Ecclesia statueret, vt imposterum Subdiaconatui esset annexum votũ Continentiæ simplex tantùm: in quo casu Subdiaconi essent consecrati, sicut nunc sunt: & tamen illud votum ex suppositione non esset solemne: sicut non est solemne votum Castitatis emissum in sæculo, & tamen per illud vouentes consecrationem quandam nanciscuntur, &, si votum frangant, sacrilegi vocantur. non potest ergò solemnitas in consecratione consistere.

49 Deinde Respõdeo, duplex genus consecrationis considerari posse (& sit responsio ad confirmationem illius secũdi argumenti) vnum est, qua quis dedicatur Deo solùm per quandam deputationem, & institutionem confirmatam aliquo pacto, vel promissione: aliud verò genus, qua res aliqua Deo consecratur per aliquam actionẽ, quæ circa rem ipsam facta sit. Primi generis res consecratę, non denominantur consecratæ ab illa actione, quæ præterijt, & non potest non præterijsse, tanquam ab aliqua forma; sed denominãtur cõsecratæ, quatenus in illis rebus actio precedens reliquit aliquid morale, hoc est, debitum quoddam, & quandam quasi obligationem moralem, vt illæ res deseruiant ad diuinum cultum.

Et

Et quia non apparet ratio, ob quam talis obligatio, quodammodo permanens, non possit tolli à re dedicata; hinc est, vt ab eadem auferri possit illud *esse consecratum.* Ita contingebat in Deputatione Nazareorum ad diuinum cultum, qui cum per aliquas ceremonias Deo consecrarentur; transacto legitimo tempore per aliquas alias desinebant esse consecrati, vt legitur *Numer. c.6.* In secundo autem genere consecrationis, in qua res denominantur formaliter consecratæ ab actione consecrationis, quæ præterijt; verè dicitur, nõ posse desinere *esse consecratum*, quia non potest illa actio non præterijsse. Vnde hinc rectè quis colligat, ne à Deo quidem auferri posse eiusmodi cõsecrationem. cum neque ipse facere possit, quin præterierit, ac fuerit, quod re ipsa præterijt & fuit. Dicimus ergò, Professionem solemnem nõ esse huius posterioris generis, sed prioris, vnde in ea sequitur dispensari posse. Vide *Suar. de Relig. t. 3. lib. 17. num. 15.* vbi hanc rem optimè explicat. Ex quibus omnibus in hac secunda Sectione latius fortasse disputatis, quàm quis vellet, sequitur, me ab Auctoribus illius Thesis non solùm nequiuisse culpari in modo loquendi, sed neque in ipsa re. cum verè votorum solemnitas ex solius institutione Ecclesiæ habeatur.

SE-

SECTIO TERTIA.

Non potest sine errore negari, Voti solemnitatem esse ex sola Ecclesiæ Constitutione inuentam.

50 SVperest iam, vt, quoniam demonstratum est hactenus, me in meę Assertionis prima parte *malè consultum Theologum* non fuisse; breuiter ostẽdam, me *nec imprudenter, nec æquo rigidius censuisse* in altera, dum dixi *sine errore in fide negari non posse, solemnitatem in Voto esse ex solâ institutione Ecclesiæ*: & quia in mea Consultatione neminem læsi, imò nec nominaui: sed solum censui, ipsam propositionem, (quod non scio vlli Scriptori in quauis materia controuersa esse interdictum, nisi in paucissimis:) hanc notam *imprudentiæ*, ac *rigoris nimij* abstergam à nomine meo. Sic igitur rem exordior.

51 Theologi omnes in Disp. de Fide, agentes de Propositionum Censura, distinguunt plures gradus: & in primo collocant propositionem *hæreticam*, in altero *erroneam*. Vocant *hæreticam*, quæ immediatè opponitur Propositioni definitæ ab Ecclesia. *Erroneam*, quæ contraria est Conclusioni Theologicæ, hoc est, Assertioni deductæ ex vna de fide, & altera euidenter nota: siue vt *Malderus ait 2 2. q. xi. artic 1. membr. 5. quæ opponitur deductæ euidenter ex principijs fidei*, siue vt docet *Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 11. quæ aduersatur certæ veritati Catholicæ fidei, non manifestè, sed sapientum iudicio probabili*

babili, ac fermè necessaria sententia. Iam sic ratiocinari libet.

Si quid habent vota, quo ablato sunt nihilo- 52
minus vota substantialia Religionis, & faciunt vouentes verè ac propriè Religiosos; illud non potest esse, nisi ex sola Ecclesiæ institutione.

Sed vota simplicia, emissa in Societate post biennium Nouitiatus, ablata solemnitate, sunt vota substantialia Religionis, & faciunt vouentes verè ac propriè Religiosos.

Ergò solemnitas in votis non potest esse nisi ex institutione Ecclesiæ.

Maior huius syllogismi certissima est. quia 53
quicquid habent vota Religiosa, habent ex Iure vel naturali, vel diuino, vel Ecclesiastico. (Nam potestas politica hic locum nõ habet:) Sed quod est de Iure naturali, vel diuino in votis, non potest abesse salua substantia votorum Religiosorum: ergo si abesse potest, non potest esse nisi ex Iure Ecclesiastico. Maior huius argumenti clara est ex sufficienti partium enumeratione, Minor probatur, quia quæ votis insunt de Iure naturali, vel diuino, pertinent ad essentiam ipsorum: & implicat, quod est de essentia, posse abesse ipsa salua remanente. Consequentia patet, quia cum illud, quod ex suppositione abesse potest, non sit de iure naturali, vel diuino; necessario est de Iure tantùm Ecclesiastico. Sic videmus accidere in Sacramento matrimonij. quia enim solemnitas illa, quæ consurgit ex assistentia Parochi & duorum testium, aliquando abfuit ab illo contractu; pro

certo

certo infertur, eam esse de Iure tantùm Ecclesiastico. idem Iudiciũ est de Subdiaconatu, qui non semper habuit annexam continentiam, vt benè probat *Pontius lib. 7. c. 24. num. 7.* citans *Vasquez de ordin. disput. 247.* eodem modo: quia ad Professionem Religiosam non debuit semper præcedere integer & continuus annus probationis, nec ætas 16. annorum; hæc omnia nunc rectè dicuntur esse ex Ecclesiastico duntaxat Iure.

54 Minor propositi syllogismi est certa de fide. ita omnes societatis Scriptores, qui hac de re siue ex professo siue per aliquam occasionem tractarũt. Videri potest præter cæteros *Suarez de Relig. tom. 4. li. 3. c. 4. num. 5. Luysius Turrianus supremi Senatus S. Inquisitionis in Hispania Qualificator de Fid. disp. 16. dub. 2. & 4. Vasquez 1. 2. disp. 165. c. 9. num. 94. & Basil. Pontius de Matrim. lib. 7. c. 7. num. 7. & 8. & sequ. capitibus*, quibus accuratissimè demonstrat, Vota substantialia Religionis non dicere essentialiter solemnitatem. Huius autem veritatis vnica ratio est, quia sic definiuit GREGORIVS XIII. in sæpè allegata *Constitutione; Ascendente Domino.* Cum enim grauiter reprehendisset *temerariam quorundam audaciam*, qui post declarationem aliàs ab ipso factam *in Constitutione, Quãto fructuosius*; asserebant, eum, licet definiuisset *motu proprio & ex certa scientia, priuato sensu locutum fuisse, & tanquam priuatum Doctorem errare potuisse, imò verè & de facto ob falsam informationem errasse*; rursus definit (& vtique non vt priuatus Doctor, sed vt Summus Ecclesiæ Pastor Petri Successor & Vicarius

Chri-

Christi) *Vota simplicia in Societate, tametsi non solemnia, esse vota substantialia Religionis, & omnes, & quoscunque ea emittentes verè & propriè Religiosos fuisse, esse & fore, & vbique semper ab omnibus censeri, & nominari debere, non secus ac quosuis Regularium ordinum Professos.* Confirmatur ex DOCtrina communi Theologorum, quam egregiè explicat *Dominicus Bannes Thomista celeberrimus 2.2.q.1.art.10.conclu.3. & 4.* vbi docet, *Pontificem etiam sine Concilio definiẽtem, non posse errare, & nominatim in confirmandâ aliquâ Religione, quantum ad Constitutiones, & leges sibi vel verbo, vel scripto propositas. Et qui hanc propositionem negaret, non dubitat Bannes appellare hæreticum.* Et ratio est, quam etiam affert *Canus, Vasquez, Malderus, & alij*, quia malè prouisum esset à Christo Ecclesiæ suæ; si Pontifex errare posset in proponendo Fidelibus aliquem vitæ modum tanquam laudabilem, ab ijsdem sequendum; si in hoc falli, vel fallere posset. Hoc fecerunt Pontifices Romani: imò & CONCILIVM TRIDENTINVM, dum Statum Scholarium in Societate proposuerunt, & approbarunt tanquam laudabilẽ: imò tanquam verè, ac propriè, ac simpliciter Statum Religiosum, non minus perfectè, quàm sit status Professorum Ordinum quorumcumque: ergò in hoc non potuerunt errare. ergò certum est (& non certitudine alia quàm fidei,) vota simplicia & carentia solemnitate, esse vota substantialia Religionis, & efficere ea emittentes verè ac propriè Religiosos. quæ erat minor in proposito syllogismo.

55 Consequentia verò eiusdem clarissima est, tũ quia est in bona forma: tum quia à votis simplicibus Societatis abest solemnitas; & tamen sunt vota substantialia Religionis, &, vt probatum est, efficiunt ea emittentes verè ac propriè Religiosos. ergò, cùm non possit esse solemnitas de Iure naturali, vel diuino; (quæ Iura non patiuntur abesse quod est de votorum substantia) necessariò debet esse de Iure Ecclesiastico, & ex solius institutione Ecclesiæ. Quæ conclusio cum deducta sit ex vna de fide, & altera euidenter certa; est conclusio Theologica, & opposita illi negatiua, est *error in fide*, quæ erat secunda pars Assertionis meæ.

56 Placet hîc aliquid addere ex sententia *Basilij Pontij lib. 7. de matrim. c. 7. num. 2.* vbi non solùm asserit, esse de fide (vtpotè ab Ecclesia definitum) vota simplicia in Societate esse vota substantialia Religionis, sed etiam definitam esse *Rationem* huius *Definitionis*. Ratio verò, qua permotus GREGORIVS XIII. definiuit, vota simplicia esse vota substantialia, est, *quia solemnitas est ex solâ Ecclesiæ institutione*. audiatur *ipse Pontius. Quamuis enim* (inquit) *definitâ aliquâ veritate, non statim definiatur principium, cui innititur; attamen, quando vnicum est tantum eius definitionis fundamentum, ita vt cum opposito fundamenti stare non possit veritas definita; vnâ cum conclusione definitur etiam principium. ita contingit in præsenti. Nec enim conclusio definita* (vota scilicet simplicia esse verè ac propriè vot substantialia) *stare potest: si vel leuiter dubitetur, solemnitatem, de quâ erat*

sermo,

ſermo, eſſe Iure tantùm Eccleſiaſtico introductam. Explicatur paulò latiùs hæc doctrina *Baſilij*: vt appareat, eſſe inconcuſſam veritatem; licet ſupra nõnihil dictum ſit de hac re. Obtrectatores Societatis (ſic enim eos appellat GREGORIVS XIII.) contendebant, vota ſimplicia non eſſe vota ſubſtantialia Religionis, eo quòd viderent, votis illis ſimplicibus obligatos dimitti à Societate, retinere Dominium, imò à pleriſque exiſtimari, ſi matrimonium contraherent, peccare illos quidem: cæterum matrimonium validè contrahi: ſicut accidit in votis ſimplicibus Paupertatis, ac Caſtitatis, quæ emittũtur in ſæculo, aut in aliqua Cõgregatione non approbata. atque ex his multa alia conſequenter deducebant, quæ in ſæpè allata Conſtitutione à GREGORIO XIII. recenſentur. Hæc porrò tam falſa Obtrectatorum illorum perſuaſio, indè ortum ducebat, quòd exiſtimarent, vota ſubſtãtialia Religionis habere adiunctam ſolemnitatem ex Iure naturali diuino; nec per vllam humanam poteſtatem fieri poſſe, vt, qui ſemel per tria vota eſſet Deo conſecratus, poſſet de Religioſo fieri non Religioſus, valideque corpus ſuum tradere coniugi, & retinere Dominium bonorum temporalium. Cum autẽ animaduerterent, dimitti aliquos è Societate poſt vota nuncupata, & in Societate retinere Dominium; inferebant, per vota eiuſmodi ſimplicia non fieri verè ac propriè Religioſos. *Omnia quippe aliorum Regularium ordinum communibus rationibus, formis, ac ſtatutis metiebantur.*

57 GREGORIVS ergò XIII. nixus contrario prorsus fundamento, (hoc est, quòd Votorum solemnitas Religiosorum, & illi effectus efficiendi traditionem immobilem penitus, & ex vtraque parte perpetuam, & inducendi incapacitatem Dominij ac Matrimonij, non sint Iuris naturalis, vel diuini, nec de substantia Votorum Religiosorum; sed ex solâ institutione Ecclesiæ, & quiddã accidentarium;) declarat, potuisse per SEDEM APOSTOLICAM admitti tanquam vera & substãtialia vota Religionis, vota Scholarium & Coadiutorum formatorum, tametsi simplicia, & carẽtia illâ solemnitate, & non habentia omnes illos effectus. Quocirca si non sit inconcussa veritas hæc, *quod solemnitas votorum sit ex solâ institutione Ecclesiæ*; non potest esse vera illa definitio, potuisse scilicet per SEDEM APOSTOLICAM admitti illa vota simplicia, tanquam vota substantialia. quoniam non potest APOSTOLICA SEDES detrahere votis solemnitatem, si illa est de Iure naturali, aut diuino.

58 Atque ex his apparere potest, quàm futilis sit quorundam responsio; qui dicunt Summum Põtificem definiuisse quidem, vota simplicia in Societate, esse vota substantialia Religionis; sed hoc fecisse adductum opinione probabili, quod scilicet, *solemnitas sit ex sola institutione Ecclesiæ inuenta.* futilis, inquam, est hæc responsio, quia certissimũ est, vota carentia solemnitate, esse verè ac substãtialiter vota Religiosa. Nõ potest autem hoc esse certissimum, nisi pariter certissimum esset, solem-

nitatem non esse Iuris naturalis, aut diuini, sed solùm Ecclesiastici. Ergò GREGORIVS XIII. definiens *ob hanc vnicam rationem*, vota simplicia, esse vota substantialia Religionis, vel non est secutus opinionem solùm probabilem, sed certam, vel si erat tantùm probabilis; fecit illam certam suâ auctoritate, & quidem non aliâ certitudine quã fidei, quippè cum ita Pontifex senserit, & ita definiuerit.

Illustratur hoc totum exemplis. Erat tempore 59
PAVLI III. SVMMI PONTIFICIS dubium: vtrũ sacrum Chrisma posset confici ex balsamo Indico, de quo erant duæ opiniones ambæ probabiles, asserentibus quibusdam, illud Balsamum esse verum balsamum, & idem cum Syriaco (quod, vt suppono, ex Christi institutione est materia remota in Sacramento Confirmationis) alijs negantibus. PAVLVS III. re diligenter discussa, definiuit, posse hoc Sacramentum conferri chrismate confecto ex oleo & balsamo Indico, & cõsequenter sic collatum, esse verum Sacramentum.

Quæro iam ab Aduersarijs (supposita senten- 60
tiâ, quæ docet, de essentiâ Confirmationis esse Balsamum) estne iam amplius probabilis tantùm illa opinio, quæ asserebat, Balsamum Indicum esse verum balsamum, & idem cum Syriaco? Est certissima, & non solùm probabilis, quia si non sit certissima, & excludens oẽm formidinẽ oppositi; non potest esse certum, Sacramentum Cõfirmationis tali chrismate collatum esse validum.

61 Præterea est probabilis opinio, æquipollere illas voces *in Nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque*; his, *Patris & Filij & Spiritus Sancti*. Si iã Pontifex ex Cathedrâ declararet, baptismum collatum sub hac formâ, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti & Procedentis ab vtroque*; esse verum baptismum; essetne ampliùs probabilis solùm illa opinio? Esset certissima. Sicut certissimum est, non posse esse verum baptismum, nisi conferatur verbis æquipollentibus illis vsitatis, *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Itaque, vt dicebat, *Pontius*, non solùm definitum est à GREGORIO XIII. Vota simplicia in Societate esse vota substantialia Religionis, sed etiam definita est *Ratio* huius *Definitionis, quòd solemnitas sit ex sola institutione Ecclesiæ*.

62 Neque omittnedum est, quod idem Author refert *lib. 7. de matrim. c. 1. num. 4.* sibi scilicet cognitum fuisse aliquem apud Complutenses, qui, cùm affirmasset, Pontificem dicentem, *solemnitatem voti esse ex solâ Ecclesiæ constitutione inuentam*, deceptum fuisse, *neque hoc ad definitionem pertinere*; coactum fuisse in publicis disputationibus retractare. Ex qua huius Authoris doctrinâ apertè infertur, negantes, solemnitatem votorum esse ex solâ constitutione Ecclesiæ, asserere propositionem oppositam assertioni iam definitæ, & consequenter non solùm *erroneam* sed *hæreticam*. sed hoc mihi in meâ Consultatione non placuit: neque nunc placere potest. placet solùm, quod hinc sequitur, me *æquo rigidius* non censuisse, dum censui, illam negatiuam esse *errorem in fide*. An verò

rò fecerim *imprudenter*, ita censendo; prudentium appello iudiciū. Sanè, qui tot Auctorum testimonijs, ac rationum momentis diu multumque examinatis eo modo pronuntiaui: non egi neque *negligenter*, neque *præcipitanter*, neque *inconsideratè*: quæ notæ sunt (*si Sancto Thomæ* 2.2.*q* 53. & 54. credimus) peccantium per defectum contra Prudentiam.

Quæ hactenus disputata sunt de censura 63
propositionis negantis, solemnitatem votorum esse ex solâ Ecclesiæ Constitutione inuentam, peculiarem vim habent, si sit sermo de solemnitate, de qua ego in mea Consultatione locutus sum: hoc est, de illa efficacia, quam habet votum Paupertatis, inducendi incapacitatem Dominij. quoniam, vt in eadem Consultatione probaui, GREGORIVS XIII. *in Bullâ Ascendente Domino*, definiuit, *Vota Scholarium Societatis esse vota substantialia Religionis, & per ea Scholares eiusdem fieri verè ac propriè Religiosos: & nihilominus retinere Dominium bonorum suorum* Siquidem, vt suprà docuimus, solemnitas voti Paupertatis in eo maximè posita est, vt vouentem reddat incapacem Dominij. Ego verò in mea Consultatione de hac solemnitate egi, asserens, esse ex solâ constitutione Ecclesiæ.

Vnus restat scrupulus, qui omninò eximendus 64
est. Dicet enim aliquis. Si, *quod voti solemnitas sit ex solâ Ecclesiæ constitutione inuenta*, est *propositio iam definita*, vt vult Pontius, vel, vt tu contendis, *conclusio Theologica*; sequitur, opinionem illam, quæ affir-

mat in voto ſolemni, ne ab ipſo quidem Summo Pontifice, diſpenſari poſſe, non eſſe amplius probabilem: ſed prorſus falſam. Nam ſi exploratum eſt, ſolemnitatem ſupra voti naturam nihil addere, niſi id, quod eſt de Iure Eccleſiaſtico: & pariter certum eſt, Papam eſſe ſupra idem Ius: conſequens eſt, certiſſimum eſſe Romanum Pontificem, qui paſſim diſpenſat in voto ſimplici, diſpenſare etiam poſſe in ſolemni. & tamen ferè omnes Doctores, qui ſentiunt voti ſolemnitatem eſſe ex ſolâ inſtitutione Eccleſiæ, fatentur, contrariam quoque opinionem eſſe probabilem.

65 Reſpondet non Nemo, illos DOCTORES non loqui conſequenter. Alij dicunt, ob hanc ipſam rationem illam opinionem nullo modo probabilem eſſe: Neque hoc cedere in vllam iniuriam DOCTORUM, qui ſcripſerunt ante DECRETALES BONIFACII VIII. & GREGORII XIII. quas ſi vidiſſent, eo modo non ſcripſiſſent: cũ Pontificiæ Authoritatis reuerentiſſimi ſemper fuerint, &, vt erant homines; ita nihil à ſe humani alienũ vnquã duxerint. Scitè in hanc ſententiã *Galenus de cõpoſ. Medic. c. 8. Difficilè eſt*, inquit, *vt qui homo ſit, non in multis peccet, quædã videlicet penitus ignorando, quædã malè iudicando, & quædam tandẽ negligẽtius tradendo.*

66 Refert *Bellarminus in Controuerſ. de Beat. Sanct. & Vaſquez* I. 2. *diſput.* 19. *cap.* 1. complures Patres Græcos, & Latinos, quà ſanctitate, quà litteris præſtantiſſimos, qui opinati ſunt, Animas piè defunctorum, etiam poſtquàm nihil haberent expiandum igne purgatorio, non admitti

mitti statim ad beatam Dei visionem, & regnãdum cum Christo in cœlis. postea *in cap. Apostolicam. de presbyt. non baptizat. & in Extrau. quæ incipit, Benedictus Deus*, apud *Castro li. 3. contra hæreses ver. Beatitudo, & in Concilio Florentino sess. vlt. & Trid. 25.* contrarium definitum est. Pariter Scholastici agentes de Angelis, referunt multos Sanctos Patres, qui senserunt, eos fuisse creatos ante mundũ hunc aspectabilem, & esse corporeos. Et tamen plerique Theologi sentiunt, definitum esse oppositum in *cap. firmiter, de Summ. Trinit. & fid. Catholic.* deperitne propterea quicquam de fama Sanctitatis, & Doctrinæ tantorum Virorum? irrogatne illis iniuriam, qui eas opiniones quondam probabiles, appellat aut hæreticas, aut erroneas, aut temerarias? nullo modo. Laudabilis est, non nego, affectus in antiquos Scriptores ipsorumque doctrinam: sed tamen ratione temperandus est: adeoque si quid temporum decursu decretum fuerit à Romano Pontifice (cui ipsi tantùm tribuerunt.) quod aliquam ex eorum sententijs euertat; potiorẽ decet esse apud oẽs *Vicarij Christi* auctoritatem, quàm Doctoris vnius, aut plurium alioquin eximiorum. cùm Gentium omnium Doctor *ad Galat. c. 1.* dixerit, *licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, Anathema sit.*

Sed his omissis mea ratio alia est. Sit per me 67
probabilis opinio, in voto solemni dispensari nõ posse: Non tamen hinc continuò infertur, voti solemnitatem esse Iuris diuini. quia non se conse-

quuntur mutuò ista: *est de Iure diuino, ergò indispensabile. Est pendens ab humana voluntate, ergò retractabile.* Voti simplicis obligatio est diuini Iuris, & tamen in eo passim dispensatur: acceptatio hæreditatis, & Episcopatus pendent à meâ voluntate, & tamen ab eadem non pendet renuntiatio, vt notissimi Iuris est. Ita ergò fieri potest, vt ex aliquo capite in voto solemni dispensari non possit: licet solemnitas sit Iuris tantùm positiui. quale autem illud caput sit; non est mei instituti hîc fusius indagare: Legi potest *Suarez de Relig. tom. 3. lib. 6. c. 15. n. 12.* hoc tantùm contendo, solemnitatem voti, licet supponatur (quod tamen supponendum non est) esse indispensabilem; nihilominus esse ex solâ institutione Ecclesiæ inuentâ, quod supra tot Auctorum testimonijs, & duorũ Romanorum Pontificum calculo definitum esse ostendi: & quod mirificè conducit ad tuendam auctoritatem Apostolicæ Sedis, quæ toties in voto solemni dispensauit, & quæ definiuit, cum voto substantiali Religiosæ paupertatis non pugnare Dominium sine vsu, hac vnica ratione nixa, *quod voti solemnitas sit Iuris tantum Ecclesiastici.*

68 Quæret quispiam hoc loco, & quidem non importunè, quî pertinere queat ad fidei definitionem stare posse cum voto Paupertatis rerum Dominium. offert enim mihi se nunc primum triplex ratio dubitandi, quam dissimulare non debeo.

69 Prima est Quia Scriptores omnes à mille, & eo ampliùs annis, docuerunt, votum Paupertatis Re-

Religiosæ excludere omne Dominium.

Secunda. Quia cùm hæc res pertineat ad mores; potest non esse recepta. sicut contingit in multis alijs materijs determinatis à Concilijs generalibus legitimè congregatis, & approbatis, nedum à solo Romano Pontifice sancitis. 70

Tertia. Quia hæc veritas non habetur è Scriptura, aut Traditione: sed pendet potiùs à moralis Philosophiæ, vel Iurisprudentię principijs. Verùm his rationibus facillimè satisfit: Et quidem quod ad primam attinet, iam supra ostendi, non esse laborandum de numero Doctorum, vbi habetur expressa Sedis Apostolicæ definitio, aut decretum, aut lex expressa, ab habente legitimā authoritatem confirmata. Quæ omnia hîc sunt. 71

Ad secundam Respondeo, magnam esse æquiuocationem. Duo distinguere oportet in Decretis morum: vnum, quid præscribant agendū, vel non agendum. alterum quid iudicandum, & sentiendum: In decretis primi generis verum est, quod contra obijcitur. sic videmus non vbique receptum esse Concilium Tridentinum; in decretis autem secundi generis, falsum est: adeoque citra errorem nemo dissentire, aut aliter iudicare potest. 72

Ad tertiam Respondeo cum communi Theologorum sententia, de qua videri potest *Melchior Canus lib. 6. de locis c. 8. §. sed & id postremo.* ab Ecclesiâ non solùm definiri posse, & scire, quæ habētur è sacris litteris, & traditionibus immediatè: sed etiam multa ex ratione naturali, & discursu 73

Theo-

Theologico. In Christo esse duas voluntates, & operationes, non habetur in Scriptura &c. Sed ex discursu. quia Christus est homo, non solũ Deus, & omnis homo habet operationes intellectus & voluntatis proprias hominis. Et hæc veritas fuit definita in Concilijs contra Monothelitas. In Concilio Florentino & Tridentino definitũ fuit in Sacramento Confirmationis imprimi Characterem, & multorum iudicio in Trid. dari gratiã habitualem, & illius inhærentiam, & alia similia, quæ è Scriptura, & Traditione non habentur immediatè. in Lateranensi sub LEONE X. quamplurimi putant definitum fuisse, Montem pietatis esse licitum, idque ad fidem pertinere: & tamẽ hoc immediatè pendet ex principijs moralibus. Ratio horum omnium est, quia potest, & solet Deus illustrare mentem VICARII sui in terris, vt penetret robur rationum aliquarum naturalium, & aliquas veritates reuelatas, & per discursum Theologicum, adiutus maximè Consilio Peritorum cognoscat, & decernat aliquid, quod Doctores priuati, licet acutissimi, addo, & sanctissimi assequi minimè potuerunt.

74 Simile quiddam accidit in nostro casu. GREGORIVS XIII. ex assistentia sibi debita tanquã Romano Pontifici, post diuturnam cum viris doctissimis deliberationẽ cognouit, ac definiuit, cum voto substantiali Religiosæ Paupertatis stare posse radicale Dominium absque vllo vsu bonorum temporalium quem non possint habere vouentes, nisi dependenter à Superioribus. Equidem

dem sic conijcio, GREGORIVM & GREGORII Consiliarios ratiocinatos fuisse. Christus Dominus Institutor Religiosi status quærenti illi Iuueni, quid sibi faciendum esset, vt vitam æternam possideret, &c. Respondit, *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da Pauperibus, & veni & sequere me.* In quibus verbis Ecclesia semper agnouit, contineri tria vota substantialia Religionis, & abrenunciationem omnium illarum rerũ, quæ possunt esse impedimento perfectioni Charitatis, & vitæ Christianæ, inter quæ vnum est sollicitudo bonorum temporalium. potuit subiungere GREGORIVS, in *Societate* IESV ipsius Scholaribus interdicitur omnis vsus & administratio bonorum temporalium: nulla re vti possunt, & ne de teruncio quidem disponere sine consensu Superiorum: & illud ipsum Dominiũ radicale, quod retinet iustissimas ob causas, & nominatim vt Societas liberius illos dimittere possit, si progressu temporis minimè satisfecerint, tenentur à se abdicare ad nutum Prælati, iuxta promissionẽ ab illis factam, se omnibus suis bonis renunciaturos, quandocunque Superior iniunxerit post primũ probationis annum, proinde prædicti Scholares nullum videntur habere impedimentum perfectionis, nullam distractionem, aut sollicitudinem in re familiari procuranda non magis, quàm habeant Professi Ordinum reliquorum. Quid ergo vetat, asserere, huiusmodi homines perfectè sequi Christi consilia vocantis ad perfectionem? Et si ita est; quid prohibet declarari, ac definiri,

eosdem

eosdem esse in statu Perfectionis, præsertim cum illis ablata sit omnis potestas retrocedendi, & post manum missam ad aratrũ respiciendi retro. Sic ego puto ratiocinatum fuisse GREGORIVM: qui, si prætereà considerauit (quod fecisse sine dubio credendum est) CHRISTVM DOMINVM fundatorem Religiosi Status pauperrimam quidem duxisse vitam, Dominio tamen rerum omniũ non caruisse, nec carere potuisse: & Apostolos, Apostolorumque Discipulos primos Religiosi status sectatores, & antiquos primorum sæculorum Monachos vsque ad tempora MAGNI GREGORII non fuisse incapaces Dominij; non potuit, inquam, GREGORIVS, si hæc omnia considerauit; non prudentissimè existimare, posse à se definiri, non pugnare cum substantiali voto Paupertatis Dominium bonorum temporalium absque illorum vsu, & re ipsa sic definiuit.

75 Ex modo dictis infertur vnum, quod serio, & sepositis tantisper affectibus, perpendi velim à Caio, de quo in Consultatione egi, quem suspicor persuasum habere, posse à se omnia tentari tuta conscientia, vt Titius frater à paternâ hæreditate penitus excludatur. perpendat, obsecro; non esse locum in hac causa receptissimis alioquin, illis Regulis: *Qui sequitur opinionem probabilem, non peccat. In dubio melior est conditio possidentis. Nemo tenetur abdicare se possessione rei, quam non liquet esse alienam.* Etenim exceptiones, quæ ex his regulis desumi possunt, eliduntur Regulis sequẽtibus, quas communiter tradunt Scholastici agentes

gentes de conſcientia probabili ac dubia. Prima eſt, *Si quid ab Eccleſiâ, & Romano Pontifice ex Cathedrâ ſit declaratum, contrarium eſt omninò falſum, etiãſi quam plurimi Auctores illud aſſerant.* Et ratio eſt euidens. quia veritas eſt vnica. Cùm ergò Eccleſiæ definitio efficiat, vt vna pars contradictionis vera ſit; altera neceſſariò eſt falſa. Secunda Regula: *Vbi eſt lex & textus expreſſus, & nullo modo ambiguus, non eſt locus nec dubio, nec opinioni probabili ob vllius Doctoris authoritatem.* quia Legislatoris authoritas præualet cuicunque priuatæ. Tertia Regula: *Vbi legis intellectus obſcurus eſt, ſtandum eſt conſuetudini, & praxi vniuerſaliter receptæ.* Cùm enim ſit altera lex, & optima legis Interpres, præualere debet cuicunque priuatæ ſententiæ. Quarta Regula: *Si in aliquâ aſſertione conueniant ij, qui Ius habent Interpretandi aliquam legem, & præterea omnes Scriptores, qui eâ de re ex profeſſo, & accuratè tractarunt, & vnus, aut alter, aut pauci non perpenſâ ratione contrariæ ſententiæ, aliter ſentiant; eorum ſententia non poteſt appellari probabilis opinio.* Iam ſic. Votum ſubſtantiale Paupertatis ſimplex emiſſum à Scholaribus Societatis poſt Nouitiatum, non reddere illos incapaces Dominij acquirendi, nec exuere acquiſito: eſt Propoſitio definita per Apoſtolicam ſedem in ſæpè citata Bullâ *Aſcendente Domino*: habetur expreſsè in Conſtitutionibus Societatis: eſt confirmata conſuetudine, praxi, & inconcuſſo vſu per ſpatium annorum ferè 100. eſt declarata ab vniuersâ Societate in Congregationibus ſeptem generalibus, & ſæpiùs ab ipſis Præpoſitis Generalibus,

libus, penes quos, Pontifices voluerunt esse ius interpretandi: Iuxta eundem sensum iudicatum fuit in omnibus Tribunalibus, & nominatim à Sacrâ Rotâ Romanâ, in quâ toto orbe Christiano à Regibus, Principibus, Rebuspublicis electi, Romano Pontifice approbante, iudicant sapientissimi, & grauissimi Patres, &, si licet ita dicere, flos delibatus Iurisprudentiæ. quæ omnia demóstraui in meâ Consultatione. Præterea, non solũ omnes Societatis Scriptores, quibus, vipotè sui Iuris & Instituti peritioribus, fides deneganda non est: sed quicunque de voto Paupertatis tractarunt, Nemine, quod sciam, excepto, in idem placitum consenserunt. Si qui fortè aliter sentiunt; loquuntur standò in Iure communi Ordinum Religiosorum, non consideratis Statutis Societatis, quibus potiùs attendendum esse, quà Iuri communi, vbi diuersum quid statuit, non ignorant, qui velà primo limine Iurisprudentiam salutarunt. Hæc omnia si accuratè Caius perpenderit; facilè decernet, non sequi se opinionem probabilem in illâ causa hæreditatis, propterea quòd, nescio qui, affirment, bonum ius à se fouerì. Equidem vt peregrinus in hac Vrbe ne diuinare quidem possum, qui, aut quales sint isti Caij Consultores. Sed quicunque & qualescunque tandem sint, non possunt ægrè ferre, si dixero in hac causa nullam esse debere ipsorum authoritatem, quæ definitione Pontificum, Legibus Societatis, Consuetudine immemorabili, omnium Tribunalium suffragio, Scriptorũ omnium calculo,

culo celeberrimarum Academiarum Iudicijs grauissimis obruitur.

Sed finis sit. Oro, obtestorque Thesis illius 76
Auctores, vt, quæ à me dicta sunt in hac Apologiâ, æquiorem in partem interpretentur. nihil enim aliud egi, nisi vt meam, quid dico meam? Pontificum Romanorum Doctrinam ab Iniuria vindicarem. Nam si fateri velim id, quod est: nulla neque mihi, neque alijs, quos *malè Consultos Theologos* appellarunt, iniuria illata est ab Auctoribus Thesis illius. quandoquidem ipsi *malè Consultum Theologum & æquo rigidiorem censorem* vocant, qui asserit *votorum solemnitatem & consequenter quamlibet eorum obligationem* non nisi ex solâ Ecclesiæ constitutione haberi, & eum, qui addit, *id sine errore in fide negari non posse*. quæ omnia verissime (videant vel hinc æquitatem meam) ab illis dicta sunt. falsissimum enim est, *quamlibet votorum obligationem* esse ex solâ institutione Ecclesiæ. Et verissimè dicitur, votum habere aliquam obligationem ex Iure naturali, & diuino. Sed, vt prima Sectione huius Apologiæ dixi, neque ego, neque *Poza*, neque vllus ab Auctoribus Thesis in Scholio nominatus diximus vnquam, nec dicere possumus, *quamlibet votorum obligationem ex solâ Ecclesiæ institutione haberi*; sed solùm affirmauimus, *votorum solemnitatem esse ex solius Ecclesiæ constitutione inuentam*. Quapropter, sicut illi Auctores iure potuerunt ea affirmantes appellare *malè Consultos Theologos, & imprudentes, & æquo rigidiores Censores*; ita nos vicissim iure nostro petimus, vt no-

men nostrum ex illius Thesis scholio expungatur. Quod si tamen pergant asserere, esse etiam *malè consultum Theologum, qui ait votorum solemnitatem* (non addendo tamen illa verba *ac consequenter quamlibet eorum obligationē*) *non nisi ex solâ Ecclesiæ institutione haberi, & imprudenter aquo rigidius censere, qui addit id sine errore in fide negari non posse*; relegant attentè Apologiam hanc: examinent singula diligenter: &, si quid habuerint contra, quod objiciant; ne nos cælent auidos in dies magis ac magis discendi, &, si ipsi meliora nostris aliqua in re attulerint, paratos etiam mutare sententiam.

TER-

TERTIA PARS.

AVCTARIVM

Quo

EPOPSIS

Consultationis Mangionianæ quatriduo antè incerto Auctore edita, euertitur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
TERTIÆ PARTIS.

SECTIO PRIMA. *Nullus Auctor negat, Scholares Societatis suorum bonorum Dominium actiuum particulare retinere.*

SECTIO SECVNDA. *Textibus Constitutionum Societatis & Pontificum nullæ idoneæ solutio hactenus allata fuit.*

AVCTA-

AVCTARIVM.

QVæ duo in calce huius Apologiæ dixi, hoc est, clarissimis Constitutionũ Societatis, & Pontificiarum Sanctionum textibus definitum esse, à Scholaribus Societatis post vota, absoluto Nouitiatu, emissa, retineri Dominium propriorum bonorum: nec vllum proferri posse Scriptorem, qui oppositum affirmet; ea nunc necesse habeo paulò fusius ostendere. Dum enim eadem Apologia ad prælum destinatur, prodit in lucem Consultationis meæ de voto Paupertatis, non Refutatio, sed refutandi conatus, *Exhibens Caij defensionem.* Allexit, fateor, me statim argumentum Operis: sed Tituli peregrinitas non mediocriter deterruit. Quid enim, inquiebam, hoc mõstri est? *Epopsis Consultationis Mangionianæ.* Impetraui tamen à meipso, vt percurrere vellem: at offendi vel in ipso limine, & vbique tot salebras orationis, tam multas vocum nouitates, tot anacoluta, tantam veræ latinitati infusam barbariem, tot sententiarum, & dictorum antilogias; vt cespitare, non ingredi, & tertio quoque passu insistere coactus fuerim. Subit hîc dubitare, quid acturi sint MAGNIFICI, AMPLISSIMI, NOBILISSIMI, PRVDENTISSIMI, CLARISSIMI, AC CONSVLTISSIMI VIRI AC DOMINI CONSVLES, & SENATORES, quibus *Epopsis* inscribitur, qui iampri-

dem Doctrinarum ſtadio decurſo, toti ſunt in administratione rerum maximarum occupati; cum mecum multi, qui totam ætatem in litteris contriuerunt, tantopere in eruendo legitimo huius *Epopſeos* ſenſu hæreant. Sed redeo ad me. Tãdem poſt ſummam capitis defatigationem, hæc pauca intellexi.

2 Primò, *Epopſeos* Auctorem non eſſe ingenuũ Adoleſcentem *Ioannem Merrhem LL. Candidatum*; ſed aliquem Iuris Ciuilis Conſultum, qui prodire non audet: illum eundem, quem mea Conſultatio confutat: quempiam ſuſpicor malarum, ac profligatarum Cauſarum Actorem, ſeu Patronum, cui

Magiſter Artis, ingenîque largitor venter

tantum patientiæ, ſolertiæque indiderit; vt *expedire* ſciuerit *Pſittaco* ſuum χαῖρε: & potis ſit *Picaſque* & *Coruos* docere ſua, non ſua *verba conari*. non eſt meum quærere, qua id mercede fiat, Caij Curator viderit.

Secundò, Cramben repetitam, & recoctam eſſe hanc *Epopſin*. Re enim vera nil aliud eſt, niſi prius illud Scriptum in Conſultatione refutatũ, eo tantùm tolerabilior, quòd methodo commodiore, (quia aliena) proponitur. dixeris eò minus ciere nauſeæ, quò nitidiore quaſi lance commodato accepta, in has Litteratorum menſas infertur.

Tertiò, Auctorem *Epopſeos*, rerum Theologicarum penitus ignarum eſſe. Vt iam deponere debeam nonnullam ſuſpicionem, qua hactenus

labo-

laboraui, Scriptum scilicet illud, quod Consultatione reieci, fonticulo aliquo Theologico irrigatum fuisse.

Quartò, Tam absurdæ opinionis, quam Auctor mordicus defendendam arripuit, Adstipulatorem esse omninò nullum.

Quintò, locis à me adductis è Societatis Statutis, & GREGORII XIII. Constitutionibus, (in quibus Iuribus, huius causæ inter Titium & Caium firmamenta sunt) nullam hactenus vel probabilem responsionem afferri potuisse.

Ex his ea, quæ primo, secundo, ac tertio loco dixi, liquidò constabunt conferenti Scriptum illud, & hanc *Epopsin*; quæ verò quarto, ac quinto loco significaui, facilè etiam per se Lector serio animum intendens, deprehendere posset; libet tamen vtrumque planissimè exponere, & hoc labore illum leuare.

SECTIO PRIMA.

Nullus Auctor negat, Scholares Societatis retinere Dominium particulare suorum Bonorum.

PRincipio aio, Neminem prorsus asserere, *Scholares Societatis* post vota simplicia (substantialia tamen) Religionis, non retinere propriorum bonorum Dominium, ac possessionem. Referuntur quidem in *Epopsi*, *Horatius Mandosius*, *Emanuel Rodriquez*, *Romanus Hayus*, *Hieronymus Gabrielius*, *Alphonsus Rodericius*, & *Martinus Nauarrus*. 3

ſed perperam intellecti: ſi non ad fallendum inducti. nolo mihi fidem adhiberi, ſed ipſis Auctoribus omnia alia dicentibus.

Prodeat in prima acie *Horatius Mandoſius*, cuius veſtigia premunt *Rodriquez & Hayus*. Is *tractat. de priuileg ad inſtar. Gloſſæ. x. num.* 10. proponit quęſtionem, *An Societas* IESV *dici poſſit de Ordine Mendicantium?* & cum *num.* 13. attuliſſet argumentum pro parte negatiua, quia Collegia Scholarium eiuſdem Societatis bona immobilia, annuos reditus, pluraque alia in communi retinent; *numer.* 18. decernit, eſſe Religionem Mendicantem. Ad argumentum verò propoſitum *numer.* 24. ſic reſpondet. *Vltimo non obſtat, quod in eâ Religione adſint Scholares, qui non videntur mendicantes. Primò, quia ſi præſupponamus, ipſos ex priuilegijs Apoſtolicis cõmuni habere bona immobilia, & reditus annuos, & in particulari nihil poſſidere (quod forſan, qui eorũ Cõſtitutiones, & Confirmationes Apoſtolicas viderit, attentare poſſet: licet id mihi non ſatis tutum videatur) poſſent etiã illi mendicantes dici, habito ſaltem reſpectu, quòd ipſi mendicare cogerentur; ſi de facto bona aliqua, aut redditus non haberent. quod etiam videmus in Heremitanis, qui ſunt mendicantes, licet ex priuilegijs Apoſtolicis poſſint bona immobilia in communi poſſidere. Secundò, quia ſi rectè quis intueatur; ipſi Scholares, vt ex ſerie Conſtitutionum apparet, nihil poſſident in communi, aut in particulari. Nam Præpoſitus Generalis eſt gubernator Collegiorum, & redituum annuorum diſtributor, quos pro Scholarium victu, veſtitu, alijſque neceſſarijs, & pro Collegij ſuſtentatione expendit, (nihil tamen pro ſe, aut Societate*

cietate retinendo)& huiusmodi Scholares nihil certi habent, nisi id, quòd à Præposito Generali ex benignitate quodammodo suscipiunt Quare & ipsi quoque mendicantes fortè dici possunt. Hæc *Mandosius*, in quibus apertè dicitur *Scholares nihil possidere in particulari*, quod etiã dixerat *num.* 13. in argumento, & *Gloss.* 2. *num.* 10. In eadem sententia sunt etiam, vt significaui, *Rodriquez tom.* 1. *qq Regul. q.* 2 *art.* 9. § *præterea si quis rectè*, & *Romanus Hayus tract. An monasteria sint extincta q.* 1. *num.* 79. transcribentes ipsissima *Mandosij* verba.

Respondeo. Magnoperè decipi Auctorem *Epopseos*, dum, quæ affert ex his Doctoribus asserentibus, Scholares Societatis nihil possidere in particulari, intelligenda esse putat de Dominio, & possessione bonorum propriorum, quæ ipsi Scholares habent in sæculo & de quibus nostra lis est. Nam verba *Mandosij*, & *Rodriquez*, accipi omninò debent de bonis Collegiorum, quorum ipsi Scholares membra sunt; & respectu horum bonorum verissimum est, eos non habere Dominium aut possessionem in particulari: imò iuxta secundam responsionem, (de qua iam non quæro) quæ magis probatur *Mandosio* & *Rodriquez*, neque habent Dominium in communi; probatur euidenter, sermonem esse de bonis Collegiorum, quia *Mandosius* & *Rodriquez*, eiusdẽ *Mandosij* & sententiam, & verba vsurpans, in eum finem asserunt, Scholares Societatis nihil possidere, neque in communi, neque in particulari, vt probent Religionem Societatis esse mendicantem; 4

tem;& probant assumptum, quia bonorum, quæ Collegia possident, omne ius, & administratio spectat ad Præpositum Generalem, & non ad ipsos Scholares.ergò bona,quorum Dominium & possessio denegatur Scholaribus in sententia horum Doctorum,sunt bona eorundem Collegiorum,non autem bona propria, & paterna,de quibus nos disputamus,& respectu quorum Generalis nullum ius habet, nec est distributor;& in hoc sensu manifestissimè accepit Doctrinam
5 *Mandosij & Rodriquez,Romanus Hayus loco citato.* vbi quærit *an spoliato aliquo Collegio Societatis, Scholaribus competat vlla actio,& ius repetendi illud Collegium.* & Respondet non competere. *quia ipsi Scholares,* inquit, *spoliati non fuerunt. cum secundum prædicta* (relata ex *Rodriquez & Mandosio*) *nihil in communi aut in particulari possederint. Qui autem nihil possidet, omninò non potest possessione spoliari.* Itaque ratio *Romani* hæc est; Scholares non posse dici spoliatos aliquo Collegio:quia nihil possident in communi,nec in particulari; *nihil* vtique respectu bonorum Collegij adempti, & spoliati. nam quòd nihil possideant ex bonis proprijs & paternis, nil facit ad hoc, vt non possint agere de spolio respectu Collegij spoliati, cuius ipsi membra sunt: plurimum autem facit, si nihil possideant nec in communi,nec in particulari, respectu bonorum Collegij eiusdem. Maneat ergò illos Auctores falsò adduci ad confirmandam illam opinionem de non retentione Dominij respectu propriorũ bonorum, de quibus nostra Controuersia est,atque

que adeò Auctorem *Epopseos* illa loca transuersim inspexisse. vtatur in posterum, si sapit, meliore dioptra.

Sed iubet nos notare benè quædam *Mandosij* verba supra allata. Sunt autem hæc: *Si supponamus ipsos* (Scholares) *ex priuilegijs Apostolicis in communi habere bona immobilia, & reditus annuos, & in particulari nihil possidere (quod forsan, qui eorum constitutiones, & confirmationes Apostolicas viderit, attentare posset, licet id mihi tutum* NB. *non videatur.*) Non satis capio, quid hic notari velit tam diligenter. Adesdum ergò, bone vir, agamus paucis inter nos familiariter. Quid ais, verbis Mandosij, non esse tutum? *attentare.* Quid attentare? *dicere.* Quid dicere? *Scholares Societatis ex Constitutionibus suis & confirmationibus Apostolicis habere in communi bona temporalia.* Si hoc vis; primum nihil ad rem nostram, qui controuertimus de Dominio particulari. Deinde tecum ipse pugnas, qui in Scripto illo tuo ex auctoritate *Mandosij* toties ingeminabas, Scholares Societatis *retinere Dominium in communi*, & hoc illud esse Dominium, quod tam clarè Constitutiones Societatis, & Pontificiæ concedunt ijsdem Scholaribus. *Non hoc*, inquis, *volo.* Quid ergò illud est, quod putas non esse tutum affirmare? *Aliud*, inquis, *membrum orationis Mandosianæ* (& sanè ita velle debet, quia nihil est tertiũ) *hoc est Scholares Societatis in particulari nihil possidere.* ain' verò nõ esse tutum dicere, Scholares nihil in particulari possidere? ergò tutum est dicere aliquid possidere in particulari. miseret me tui, qui

6

sic

sic indulgeas affectibus; vt, quia magnum au-
ritatis pondus putas esse in *Mandosio*, cogas
mentiri verbis tuis, & non solùm hoc loco
expenso: sed etiam *Glossa* XI. *num*. 13. dum Ep
num. 23. ais, *illum plurima verba profundere de Iu*
sponendi eorundem Scholarium, & de facultate tu
Nouitijs tantùm concessa. miror profectò
argumentorum inopiâ laborare te, vt
Clarissimo talia affingas, qui vix tribus verbis
git de Iure disponendi, & solùm ait, *Nouitios p*
testari, & tu de tuo addis illam vocem *tantùm*.
nimirùm volebas aliquid etiam afferre ex *Ma*
dosio tanto viro, quo probares, non habere Sch
lares Societatis, facultatem testandi; ideò fing
illum eandem facultatem Nouitijs *tantum* co
cessisse, vt *per subauditum intellectum*, vt tu loque
à contrario sensu, defectus eiusdem facultatis in Schola
bus indigitaretur. Sed nimis multa de *Mandosio*, *Ro*
driquez & Romano. Ridiculum tamen fuit ho
primipilos in aciem eductos pro *Epopseos Autho*
noluisse pugnare.

7 Spectemus iam succedentes. *Hieronymum Ga*
brielium, & Alphonsum Rodericium. ille *cons*. 28. *lib*.
vers. *neque vero*. vnico solùm verbo ait, Scholare
Societatis possidere bona in communi, neque
hoc obstare, quò minus Societas, dici possit Re
ligio mendicans, illam verò vocem *solummodo*
Auctor Epopseos num 17. addidit de suo, diffisus, o
pinor, posse per *subauditum intellectum à contrario*
sensu indigitari, Scholares Societatis non possidere
bona in particulari. certè alia omnia ibi agit Ga
brielius,

relius, quam vt probet, Scholares retinere solũ Dominium in communi. qua ergò fide, Aduersarius ait, *id ab eo latissimè comprobari?* Codex est in manibus. consulatur.

Iam verò *Rodericius tract.3.c.5.* verissimè docet, 8
Ettè. & mendaciter esse pauperem, & specie tenus Religiosum, qui omnem erga diuitias, & facultates affectum non exuit. Sed falsò argumentatur Aduersarius, eũ affectum exui non posse ab illis, qui in Societate Dominium retinẽt, deponendum præsertim arbitrio, & nutu Superiorum: *Iobus, Abraham*, & primi illi *Patriarchæ*, & tot non solùm *Episcopi, & Pontifices Maximi*, sed etiam *Reges* potentissimi post Euangelium, ditissimi fuerunt, atque sanctissimi: & in hac minimâ Societate non desiderantur per Dei gratiam, qui, omnes boni Religiosi numeros expleant cum retentione Dominij, destituti vsu, atque administratione bonorũ, quæ proinde habent tanquam non possidentes. Ex his videre licet *Gabrielium, & Rodericium* potuisse non produci ab Aduersario: cum de retentione Dominij propriorum paternorum bonorum, ne meminerint quidem.

Ventum est ad triarios, ad *Martinum Nauarrum* 9
Doctorem, vt verè ait Aduersarius *num.18. omni exceptione maiorem, & ob summam Iuris vtriusque sapiẽtiam, & mores integerrimos* meritò laudatissimum, qui eidem instar multorum est. Is de reditibus Ecclesiasticis *monito 55. numer. 19.* (*Epopsis* habet 9.1.§.59. quem ego locum diligentissimè quæsitũ non reperi) hæc verba habet, quæ tamen eandem

sen-

sententiam continent. *Quia etiam votum Paupertis simplex obligat vouentem ad sui obseruantiam, & sequenter, ne velit sibi Dominium aliquod quærere, & bus illis tanquam earum Dominus vti, iuxta illud, vo te & reddite* & paulò post. *Nam licet dicamus qui Paupertatem vouit simpliciter, non fieri incapa quominus si emeret, aut hæreditatem, aut donatio acceptaret, fieret eius Dominus; oportet tamen dic quod peccat volendo emere, vel emendo aliquid, vt suum, aut hæreditatem, vel donationem acceptando, qui post Paupertatis votum etiam simpliciter emissum liquid quærit, etiamsi faciat illud suum; tamen non po rit vti tanquam suo.* Hæc *Nauarrus*. in quibus verbum quidem est, quo prohibeatur, Scolar Societatis non posse retinere Dominium bon rum suorum, etiam licitè, (Nam quod validè t tineant, & acquirant, disertè affirmat) & ratio t quia *Nauarrus* loquitur de voto simplici emi extra Religionem, & facto *simpliciter*, id est s vlla limitatione & conditione, & cum intent ne se obligandi, quantum quis se obligare p test, & sine dubio potest se obligare ad omnia la, quæ ibi idem *Nauarrus* habet, qui cum dic etiam, non tolli per tale votum Ius, & capacit tem Dominij; suppeditat argumentum, quo co firmatur Doctrina à nobis tradita, nimirum n minem propriâ solùm voluntate sine adminic lo legis positiuæ posse à se auferre Dominij capa citatem. Scholares autem Societatis non vouen *simpliciter* Paupertatem, id est, sine limitatione & absque vllâ conditione, sed cum addito, hoc e

luxta Constitutiones, vt expressè habetur in Formulâ votorum. Constitutiones autem concedũt Scholaribus retentionem Dominij, exuendam tamẽ ad arbitrium Superiorum. neque est quod Aduersarius dicat, votum Paupertatis Scholariũ esse votum substantiale Religionis: quia cum nõ sit solemne, sed simplex; non obligat plus, quàm sit intentio Religionis, & vouentis: intentio autẽ vouentis, & Religionis non includit dimissionẽ Dominij, sed potiùs retentionem ob causas, quæ in ipsis Constitutionibus, & Pontificijs Declarationibus cõtinentur. Et si loquamur de Iure diuino; votũ substantiale Religionis, solũ obligat ad nõ vtendũ vlla re tãquam propria, vt latè probaui in Consultatione, & in hac ipsa Apologiâ. Et non dissentit *Author Epopseos*, qui *num. 74.* affirmat, *Religiosum priuari Dominio tantum Iure Ciuili Canonizato in c. quia ingredientibus.* quod Ius est multo posterius primis illis sæculis, in quibus fuerunt sine dubio verè & propriè Religiosi, & quo Iure communi, non regulatur, quoad hoc, nostra Societas, sed suis particularibus Statutis ab Apostolicâ Sede confirmatis & declaratis.

Ex hactenus dictis habemus, nullum ad hanc vsque diem Scriptorem esse, qui neget, Scholares Societatis retinere post vota Dominium propriorum & paternorum bonorum. Notet hoc benè Caius: nec se decipi patiatur, quasi nobiles Scriptores habeat pro suâ opinione. Re enim verâ ne vnum quidem habet. Notent, rogo, etiam Iudices Causæ, & pro sua sapientia decernant, an

vni Causidico sine lege, sine authoritate Scriptorum habenda sit fides.

10 Sed in *Epopsi* producuntur tria alia paria *admodum Reuerendorum, & Eximiorum Doctorum*, qui videri possunt *in Adiunctis litteris B & E.* Verùm quod pertinet ad duos illos Theologos, qui post demandatas sibi die 9. Iulij 1635. à Iudicibus partes considerandi, & referendi, quid iuxta Pontificum sanctiones censendum videretur *in Causâ retentionis Dominij post vota simplicia in nostra Societate*; nulla eorum Resolutionis ratio habenda est, quando & illi ipsi Iudices nullam habendam esse iudicarunt; ideoque Titio causam adiudicarunt. & sanè nullum ius permittit, vt duorum hominum priuatorum, quamuis doctissimorũ, opinio, sententiæ, legitimâ authoritate latæ anteferatur. Conqueritur quidem Auctor *Epopseos num.* 2. Iudices illos *iniquam sententiam dedisse*, & sibi putat omnia salua esse propter adiunctam præfationem honoris: ac se tuetur clypeo nonnullorum aliorum, quos post eius sententiæ promulgationem ait *spiritu veritatis afflatos in Scripto quodam prædictæ Resolutionis* iudiciali sententiæ reprobatæ *confirmatorio demonstrasse contrarium.* Sed quantæ, Deus immortalis, est hoc audaciæ? vocare iniquos in hac nobilissima Republica Iudices à sapientissimo integerrimoque *Principe* constitutos, eosque sic publicè traducere: nec dubitare ijsdem nescio quorum opinationem, nullo, ne verosimili quidem argumento nixam præponere, imò dicere audere, cõtradictores hosce fuisse

spiritu

Spiritu Veritatis afflatos? profectò emunctæ naris non nemini aliquid hîc subolet, ex quo meritò magna labes timeri possit.

Sed placet obiter quatuor reliquorum Ad- 11
modum Reuerendorum, & Eximiorum Doctorum (quos constat ex *Adiunctis Epopsi Litera* E. esse eosdem, qui illi Scripto confirmatorio subscripsêre) placet, inquam, eorum testimonia nonnihil examinare: vniuersè autem non satis constituo, quid dicam. hoc vnum persuasum habeo, illos in sententia non permanere. Si enim permanent; Cur huic quoque *Epopsi* sua nomina nō subiecerunt? An quia in ea non pauca sunt contra receptissimas ipsorum sentētias? qualia sunt: Quòd solemnitas voti, ad voti substantiam non pertineat: quòd inter votum solemne, & simplex nullum sit discrimen: quòd Religiosus non priuetur Dominio per emissionem votorum, nec per solemnitatem votorum eorundem: quòd Ius ciuile tantùm canonizatum vim habeat priuandi Dominio Religiosos? An quia operi Auctoris ignoti sui nominis pondus adiungere recusarunt; ne, si quid fortè sinistri accideret, (quod sanè periculum ego non præstiterim) hanc causam suam facerent? An quia quando illud Scriptum approbarunt, fecerunt inauditâ parte? nunc autem audita, & intellectâ, & re totâ diligentius discussa, iudicium, quòd tunc tulerunt, iam vel mutarunt, vel saltem suspendere coguntur? Vtcunque sit, *Epopsis* sine vllius Doctoris approbatione vulgata est, & causa Caij in *Epopsi* num propugnata, an po-

tiùs prodita? nullius prorsus Doctoris authoritate fulcitur. Vsque adeò verum est, quod extremâ hac Apologiâ dicebam, Caium in illâ hereditatis controuersiâ non fouere bonum Ius, nec sequi opinionem probabilem, errore vnius tantũ hominis miserabiliter inductum; dignum tamen venia, quod in talem Ducem inciderit.

SECTIO SECVNDA.

Textibus Constitutionum Societatis & Pontificum nulla idonea solutio allata est.

12 REstat iam alterum, quod in hac Appendice me facturum esse promisi, vt demonstrem, manifestissimis Constitutionum Societatis, & Pontificum textibus, (in quibus cõceditur Scholaribus post vota simplicia retentio Dominij) nullam hactenus congruentem, vel probabilem responsionem afferri potuisse. Inficiatur quidem Auctor *Epopseos*, textus à nobis propositos, & explicatos in Consultatione esse manifestos. imò vocat *obscuros, & ambiguos*, idque auctoritate *Mandosij tract. cit. Glossa* XI. *num.* 24. quod ibi, vt suprà vidimus, dicat *non satis tutum sibi videri iuxta Constitutiones affirmare, Scholares non retinere Dominium in particulari*, quod tamen non affirmat *Mandosius*, qui solùm dubitat ibi, an sit tutum dicere Scholares Societatis retinere Dominium in communi. imò in secunda responsione illi magis probata negat. Sed hoc nihil est ad rem. Nam *Mandosius*, eo loco, vt supra probaui, agit de Dominio bonorum Collegij, in quo Scholares existunt: non autem de Dominio bonorum proprio;

priorum,& paternorum, & de hoc Dominio particulari loquuntur textus Constitutionum, non de illo,de quo *Mandosius*, hoc est, de Dominio bonorum Collegij. Itaque Auctor *Epop seos* solus est,qui in ijsdem textibus ambages fingit.

Sed videamus quid hactenus ad prædictos 13
textus Constitutionum Societatis & GREGORII XIII.responsum sit.In Actis publicis coram huius causæ,inter Titium & Caium, Iudicibus, Caij Procurator respondebat (vt quidam non temerè suspicãtur) edoctus ab illis duobus Theologis , nomen *Dominij* quod Constitutiones, & Pontificiæ Bullæ Scholaribus etiam post vota concedunt,intelligi debere *de Dominio passiuo*:hoc est,de capacitate recuperandi bona propria in casu dimissionis à Societate.

Hæc expositio fuit ab ipsis Iudicibus explosa: 14
tum quòd esset interpretatio contra vim,& proprietatem vocis *Dominij*: tum quia nullo modo quadraret illis textibus,vt ego etiam poste a fusè in mea Consultatione demonstraui *à num.* 10.*vsque ad* 26. & reuerà Auctor illius Scripti, quod eadem Consultatio confutat, non est ausus adhibere ampliùs eiusmodi expositionem.

Secunda ergò responsio in Actis à Causidico, 15
& in illo Scripto inculcata erat hæc: vt textus omnes,in quibus sermo est de *Dominij* retentione, intelligendi essent de *Dominio in communi*, quod scilicet Scholares retinent respectu bonorum Collegij,cuius membra sunt: & in hac responsione valdè sibi placebat Scripti Auctor,eãque

confirmabat auctoritate *Mandosij*, qui, vt supra vidimus, in sua prima responsione dubitat, an iuxta Constitutiones, & Pontificias declarationes dici possint Scholares habere Dominium in communi; in secunda verò expressè negat.

16 Hanc responsionem non adducit Auctor in *Epopsi*: imò reijcit expressè *num.17.& 38.& alibi*: &, quòd mirum est, fretus auctoritate eiusdem *Mandosij*, & præterea *Gabrielij*, *Rodriquez & Romani Hay*, qui, vt suprà vidimus, apertè sentiunt, Scholares Societatis nullum habere Dominium bonorum Collegij, nec in particulari, nec in cõmuni, vt vel hinc suo Aduersarius exemplo sanciat, mendacem memorem esse oportere. Sed quidquid sit de hoc; responsionem illam de *Dominio in communi* sustineri non posse, hoc meridie clarius demonstratum est à me in expositione illorum textuum à numero 10. vsque ad 26. in Cõsultatione. Quam expositionem nec Aduersarius reiecit, nec quiuis alius poterit vnquam refutare. imò illius, *Epopsis* ne meminit quidem.

17 Affertur ergò *in Epopsi à num.* 30. noua responsio, damnatis illis duabus: vt spes sit ab eodem Auctore breui damnandam esse etiam hanc tertiam, quæ ab illo (vt solet omnia) satis confusè, & obscurè proponitur.

18 Ego breuiter sic explico. Primò, Constitutiones iubent Candidatis Societatis *antequam sub obedientia viuere incipiant, abijcere*, & in alios transferre Dominium, quod in sæculo habebant. Secundò

cundò, hæc lex strictissimè obligat, nec licet aliter facere, quàm per dispensationem, Tertiò hæc dispensatio postulat *iustas, iustissimas, magnas, maximas, Deo placentes, & necessarias causas*, imò aliquam *vrgentissimam necessitatem*: quæ causæ, & necessitas, cùm vix vnquam locum habere possint; concludit Auctor, in rarissimo casu posse Scholares post vota retinere Dominium bonorum suorum. Quartò si abdicatio Dominij non fiat ante ingressum, vel ante vota, debere fieri statim, *quantocyus intra vnum diem.* Quintò addit, in hoc solùm sensu esse accipiendas Pontificias Constitutionũ Societatis confirmationes: & consequenter Titium non retinuisse Dominium bonorum suorũ post vota. quippe cum in eo nullæ eiusmodi causæ vel necessitas fuerit, aut fuisse probari possit.

Conatur Aduersarius singula probare. & primum quidem teneri Scholares abdicare se Dominio, antequam recipiantur in Societate, *exam. c.4.§.1.* & apud ipsum num.30. 19

Secundum, ex eodem loco Exam. vbi habetur verbum *Debent*, quod importat necessitatem. ergò differri non potest sine dispensatione.

Tertium, requiri *iustas, iustissimas*, &c. *causas*, & necessitatem ad dispensandum, vt abdicatio Dominij diutius differatur, probat *num.* 32. & 33. multorum testimonio.

Quartum, hoc debere fieri *statim, quantocyus* &c. ex Ordinatione Præpos. Gen. *aureis*, inquit, *scribenda literis.*

Quintum, sic esse intelligendas Constitutio-

nes, & Bullas Pontificias conatur ostendere, vel potiùs supponit *à num.35. vsque ad 50.* respondens inductioni textuum à me factæ in Consultatione.

30 Ad primum dico, falsum esse, Constitutiones iubere Candidatos Societatis ante receptionem in aliqua domo, abijcere Dominium, quod in sæculo habebant. licet enim *illo capite 4. §. 1.* dicant, eos *debere omnia bona temporalia, quæ habuerint, distribuere, antequam in domo aliqua, vel Collegio viuere sub obedientia incipiant*; At §. 2. subiungunt, Scholares promittere debere, *si statim bona propter aliquas honestas causas non relinquunt, se promptè relicturos omnia post vnum ab ingressu absolutum annum, quandocunque per Superiorem iniunctum fuerit*, & in fine §. 3. hæc habent. *interrogetur itaque* (Candidatus Societatis) *num placeat ei statim, sicuti dictum est, bona sua distribuere, vel certè num paratus sit ad huiusmodi distributionem, quandocunque exacto primo anno per Superiorem ei fuerit iniunctum.* Quid hic obsecro, sonat præceptum tam rigorosum, *statim, in continenti, quantocyus, intra vnum diem*, vt Aduersarius contendit, distribuendi sua bona? Nonne Sanctus Fundator contentus est illa promptitudine, & præparatione ad huiusmodi distributionem faciendam, quando Superiori videbitur. Et sanè cum in alijs Religionibus non sit obligatio, abdicandi se Dominio bonorum suorum initio Probationis: sed debeat præcedere aliquot Mēsium experimentum; non erat ratio vlla, quæ in Societate vrgeret ad statim res temporales renunci-

nunciandas. Imò, quia multò serius in Societate emittitur Professio, & diutius durant Probationes; Instituti ratio postulabat, vt tardior etiam esset Dominij abdicatio.

Ad secundum Respondeo, ad retentionem 21
Dominij post vota, nullâ opus esse dispensatione. Patet primò, quia vt in Consultatione probaui, non est de Iure diuino, nec naturali, vt voués Paupertatem Religiosam, destituatur Dominio. Secundò non est opus dispensatione in Iure cõmuni Religiosorum Ordinum: quia Societas, quoad Paupertatem Scholarium, non regulatur Iure communi, sed suis Statutis, vt supra dixi, per Sedem Apostolicam confirmatis. Tertiò non est opus dispensatione in Iure Societatis. quia Scholares differendo etiam post vota per duos, & plures annos ad arbitrium Superiorum, obediunt legibus ipsius Societatis, nec vulnerant ipsas leges. Quartò (dato & non concesso) esse opus aliquâ dispensatione, & à Superioribus sine iustâ causa aliquando differri abdicationem Dominij faciendam à Scholaribus multo tempore post vota; ex quo textu probat Aduersarius, non retineri nihilominus Dominium, & eo ipso, quod vota emissa sint, deperdi? nemo est, qui nesciat multa fieri contra legum præscriptum, quæ tamen facta tenent, inueniat mihi, si potest, Aduersarius in toto Societatis Iure vel vnam voculam, quâ significetur, si absque iustâ causa abdicatio Dominij differatur, vi votorum eo ipso amitti. Ideò frustra laborat in perpendenda vi vo-

cis *debent*, etenim etiam suus ille *Bartolus*, *aduersus quem ferreiro durum putat*, *num*. 69. *Epopseos*, cum cómuni Iurisconsultorum sententiâ, asserit, verbum *debet* non importare semper necessitatem, sed aliquando solam decentiam, nempe quando, si importaret necessitatem, resultaret prauus intellectus & correctio Iuris alicuius. quod sanè in nostro casu contingeret. nam in Scholarium electione positum est, sua bona distribuere vel antequam *incipiant viuere sub obedientiâ in aliquâ domo Societatis, vel post primum annum probationis, quandocunque per Superiorem iniunctum fuerit*. vt omittam alios textus, in quibus permittitur retētio Dominij post vota, quamdiu superiori videatur, quio mnes textus corrigerentur, si vox, *Debent*, importaret necessitatem.

22 Ad tertium Respondeo primò, iuxta Constitutiones nullas requiri causas, ob quas Candidati Societatis differre possint bonorum suorum distributionem, patet ex dictis: quia interrogantur, *an placeat eis statim bona sua distribuere, vel quando Superiori videbitur exacto primo anno probationis*. ergò illorum est optio, an velint statim Dominio se abdicare, an differre. *& in Ordin. Præpos. Gener.* vt mox videbimus, conceduntur quatuor anni ab ingressu, & duo ab emissione votorum nulla præscriptâ causa, & qui interrogatur, an sic ei placeat, nulla causa opus habet.

Respondeo secundò, tantum abesse, vt requirantur vrgentissimæ, & necessariæ causæ ad differendam Dominij abdicationem, vt potiùs multę

condi-

conditiones postulentur ad non differendam, vt mox apparebit. Nam si Candidatus *ad annum vigesimum non peruenerit: vel Patriæ leges maiorem ætatem requirant, vel in vocatione firmus, & stabilis non iudicetur; non debet bonorum distributio*, vt ordinatio habet paulò post referenda, illi iniungi.

Respondeo tertio, testimonia *Nauarri, & aliorum* referri extra rem. illi enim vel volunt requiri causas vrgentissimas ad dispensandum in retentione Dominij post votum Paupertatis solemne, vt patet legenti, & non cæcutienti: Scholarium autem Societatis vota sunt simplicia: vel, si loquantur etiam de votis simplicibus, loquuntur de illis votis, in quibus debet dispensari. Hæc autem nostra vota, vt supra ostendi, non sunt talia, vt in ijs dispensari debeat ad effectum retinendi Dominium actiuum particulare, quod ex intentione vouentium & Ecclesiæ acceptantis non excluditur statim. & in hoc puncto Constitutiones Societatis sunt ab Apostolica Sede approbatæ.

Ad quartum respondebit ipsemet Præpositus 23
Generalis Claudius Aquaviua, cuius Ordinationem Aduersarius mutilatam, vt solet, refert, sic ille *pag. 29. Quod verò ad tempus attinet, quo bonorum distributio à Nostris sit facienda, re diligenter cum Patribus Assistentibus discussâ, hoc in Domino statuendum existimauimus; vt scilicet, postquam quis in Societate quatuor integros annos vixit, dummodo ad annum vigesimum peruenerit, vbi ea ætate per patrias leges id facere licet; (alioqui expectetur, donec ad legitimam ætatem perueniat) si in vocatione firmus, & stabilis iudicetur, de*

rebus suis omninò disponat. Licet enim nostræ Constitutiones ad aliquod tempus, Nostros rerum suarum Dominium iustas ob causas retinere permittant; non tamen propterea permittẽdum est, vt ideò Nostri bonorum suorũ Dominiũ per multos annos retineant; cum, & ipsarum Constitutionum menti magis congruum sit, & omnimodæ Paupertatis perfectioni magis conueniat, vt Nostri à temporalium rerum Dominio, & cogitatione (nisi iusta dilationis causa intercedant) quantocyus expediantur. Quid ad hæc mi *Epoptæ?* An non, ô Iuris mystagoge, *inciuiliter pronunciasti totâ lege non perspecta?* An sperasti, te posse nobis illudere hac legum detrũcatione? Sed profectò nimis austerus es. *Adm. Reu. Pater Aquaviua* concessit Candidatis Societatis, vt differre possent bonorum suorum distributionem ad annum vsque ætatis vigesimum, & vniuersè ad quadriennium post ingressum: Tu ad vnicum tantùm diem. mitiùs agas, obsecro te, noli nos in tantas angustias conijcere.

24 Ad quintum respondeo, Constitutiones esse intelligendas in sensu iam explicato, nam loquũtur de retentione Dominij post vota etiam ad aliquot annos pro arbitrio Superiorum, & semper sunt legitimæ causæ, vt paulò post ostendetur, cur retineatur; hoc est libertas Societatis in dimittendis, quos iudicat ineptos, & minor offensio dimittendorum. nec est opus in hoc aliqua Dispensatione in Statutis. quæ clarè concedunt etiam post vota Dominij retentionem.

25 His ergò reiectis, mea ratio hæc est primò, Candidatos Societatis nullâ lege obligari ad abdican-

dicandum Dominium, antequam viuere incipiant sub obedientia Societatis: Neque *statim*, aut *quantocyus* in sensu *Epopseos* post vota: Nec ad diutius differendam hanc abdicationem requiri *iustissimas causas*. Neque quando hæc dilatio fit, dispensari in aliqua lege, sed legem seruari, quæ omnia paulò antè probata sunt.

Secundò dico, causas differendi abdicationē 26
Dominij post vota aliquot annis, non esse varias seu diuersas, pro diuersitate personarum, quę vota emiserunt: sed esse vniuersales, & communes omnibus, & singulis vouentibus vota simplicia post Nouitiatum in Societate. Atque hæ sunt duæ determinatæ in Constitutionibus, & approbatæ à GREGORIO XIII. *in sæpè allatis Bullis*. Prima est. *Vt maiorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, dimittendi*. Altera, *vt ipsi cum minori offensione dimittantur*, quæ offensio maior vitatur, si ius habeant in suis bonis. Causæ verò particulares solùm attenduntur in iniungendâ Scholaribus seriùs, vel citiùs Dominij abdicatione, vt liquet *ex Ordinatione Præpos. General. supra relatâ*: Et ferè sunt, ætas Scholaris, Patriæ leges, Firmitas, & Cōstantia in vocatione &c.

Tertiò dico, Societatis Institutum in hac par- 27
te esse valdè conforme rationi, & Iuri communi Religiosorum Ordinum, ex quo Iure habemus, nullum Religionis Candidatum teneri ante ingressum Religionis spoliare se Dominio bonorū suorum. Secundò, Neminem durantibus decem mensibus probationis validè posse disponere irreuoca-

reuocabiliter de rebus ſuis *ex Conc. Trident. de Re-gul. ſeſſ. 25. cap. 15.* Tertiò, durante nouitiatu non vacare beneficia Nouitij, neque penſiones, vt bene deducit *Sacra Rota Romana ex cap. beneficium. de Regul. in 6. in Deciſ. adiunctâ. verſ. prætereà in vtraque & verſ. licet ille.* his ergò Iuribus ſe conformans Societas, ſtatuit Primò, vt in eam ingreſſurus, ante ingreſſum poſſit, ſi velit, non tamen teneatur omnia ſua bona irreuocabiliter diſtribuere, vt ſupra vidimus. Secundò, Etſi velit nouitium eſſe promptum, & promittere Dominij abdicationē; huius tamen promiſſionis executionem non exigit, niſi exacto primo probationis anno. Tertiò, retinuit eadem Societas ſibi libertatem differendi ad aliquot annos præceptum de abdicatione Dominij faciendâ à Scholaribus: quia probatio in hac Religione non durat ſolùm tempore nouitiatus, ſed vſque ad emiſſionem Profeſſionis, vel vota publica Coadiutorum formatorum, quo toto tempore non ſunt Scholares in ſtatu omninò immutabili ex parte Religionis, ſed ſuâ duntaxat. His ergò ſtantibus valdè prudenter *S. Fundator* ſanxit, & *Apoſtolica Sedes* approbauit; vt Scholares Societatis poſt vota, & traditionem ſui factam Religioni, non amitterent Dominiū. quia illorum probatio non finitur per vnum, aut alterum annum: ſed durat per plures, ob cauſas in Conſtitutionibus expreſſas, vſque ad emiſſionem Profeſſionis, vel vota publica Coadiutorū formatorum. & ob hanc rationem acutè dixit *Sacra Rota Romana in Deciſione citata*, licet *textus in*

cap.

cap. beneficium, paulò ante allatus decernat, *non vacare beneficium Nouitij, qui nondum emisit Professionē*; rectè tamen adaptari Scholaribus Societatis post emissa vota. *Quia*, inquit, *ratio, ob quam* BONIFACIVS VIII *in illo canone voluit, non vacare beneficium Nouitij, est, quia ille potest ad sæculum redire, quæ ratio æquè militat in eo, qui emisit dicta tria vota simplicia. atque ita idem Ius debet procedere; Ratio enim dicitur communis lex ad omnes casus. ideò non est curandum de casuum diuersitate, vbi adest eadem ratio. quia tunc non dicitur fieri extensio, sed comprehensio.*

Neque obijciat hîc mihi Aduersarius, vt facit 28 *num.* 47. si hæc ratio valeat, necesse esse, vt quo vsque in gradu Scholasticorum Candidati Societatis existunt, Dominium bonorum temporalium nunquam abijciant (quod tamen est contra ordinationes & Decreta ipsius Religionis, addo ego, & praxin) Respondeo enim, id non sequi. Societati, vt iniungat Scholaribus, etiam ante Professionem, & vota publica Coadiutorum, abdicationem Dominij, satis est Moralis quædā certitudo, Scholares, esse firmos, & constantes in suâ vocatione, & abstractos à rebus sæcularibus, & seriò incumbere in studium acquirendæ perfectionis. his enim experimentis captis, prudēter vel iubet, vel cōcedit fieri bonorum temporaliū renunciationem ad maius ipsorum renunciantiū meritum, & maiorem cum reliquo Societatis corpore conformitatem. Et licet aliquando contingat quempiā esse dimittendū; quia tamen rari sunt huiusmodi casus; nō fuit illorū habēda ratio.

Sed

29 Sed finio, Ostendi hactenus, primò Caium nullum habere pro sua opinione Auctorem. Secundò, nouam expositionem ab Aduersario ingeniosè magis, quàm solidè excogitatam, textibus à me allatis in Consultatione nullo modo congruere. Quæ duo promiseram initio me facturum esse.

30 Hinc sequitur primò, liberũ esse me onere expendendi sigillatim respõsiones Aduersarij allatas à n.35. vsque ad 50. ad illos textus, & demonstrãdi nõ esse firmas. innitũtur enim Præsuppositis ab Aduersario factis: quòd Candidati Societatis iubeantur abijcere Dominium *ante ingressum* in Societatem, vel *statim* post emissionem votorũ simplicium, hoc est, vt ipse ait interpretans vocem *quantocyus, intra vnum diem antequam ad extraneos diuertantur actus*: & quòd si hoc non fiat statim, *debeat interuenire dispensatio*, quæ nequit concedi, *nisi ob vrgentissimas causas & necessitates*: Quæ omnia falsissima esse docui.

31 Secundo infertur, falsò item semper assumi ab Aduersario; Titium confirmasse testamentũ in sæculo conditum per vota, & sui traditionem Religioni factam: nam nec vota, nec traditio habent hoc ex natura sua, vel Iure diuino, vt ipse quoque concedit numero 74. Sed *solùm Iure ciuili canonizato*, quo in hac parte Societas nostra non regitur, sed suis Statutis particularibus.

32 Tertiò infertur, Summos Pontifices confirmasse Constitutiones Societatis in sensu à nobis explicato, & non præsupposito, quòd ad differẽ-

dam

dam Dominij abdicationem, *opus sit dispensatione, & vrgentissimâ necessitate.* Si quidem ostensum est, in illa dilatione Constitutiones potiùs seruari: atque in ea semper interuenire causas sufficientissimas, & vniuersales, & indefectibiles, vt sic dicam, quæ sunt *libertas Societatis in dimittendo ineptos, & minor offensio dimittendorum.* quæ duæ causæ præter cæteras, (quas hic recensere non attinet) approbatæ sunt à GREGORIO XIII. *in sæpè citatis Constitutionibus*, præsertim *Ascendente Domino.*

Vltimò infertur magno sanè ausu dictum fuisse 33
ab Aduersario *num.* 51. *& seq.* Obseruantiam ferè centenariam, & vsum inconcussum, quo semper, & vbique terrarum receptum fuit, vt Scholares post vota Dominium ad aliquot annos retinerent: aut præsupponere iustissimas illas causas ab Aduersario requisitas intercessisse, aut, si non intercesserunt, esse abusum nihili faciendum, imò cassandum. Nam, vt probatum est & aduertit etiã SACRA ROTA *in illa Decisione vers. vltimo pro hac parte*, talis obseruantia, & vsus *non solùm non repugnat Constitutionibus Apostolicis; verùmetiam illis est maximè conformis.*

Ex quibus omnibus postremò *concludo, Titium* 34
quoque post vota bonorum suorum Dominium retinuisse: iterumque potuisse disponere de Superiorum licentiâ, sicut etiam omnes Religiosi Professi, non obstante voto solemni, de licentia Papæ testari possunt, licet per votum obedientiæ propriæ voluntati renunciauerint. *S. Tho. 2. 2. q. 185. a. 8. ad 3. Nau. com. 2. de Reg. n.* 58. Alij multi apud *Barbos. de Iur. vniuers. Eccles. lib. 1. c. 42. n. 213.*

Huius

35 Huius argumēti, quod leuiter solùm insinuauit in mea Consultatione, vim Aduersarius, (vt est in suscepto semel errore obfirmatus,) penetrare vel non potuit, vel nō voluit, quo factū est, vt magnā partē Quæstionis quartæ explicatæ in illo suo Scripto recoxerit, & rursus nobis in hac iam nō *Epopsi*, sed *Paropside* nullo sale conditā, sed tenui tantùm aceto perfusam apposuerit. non mentior. conferatur illa Quæstio *à vers. Postremo restat*. vsque ad finē, *cum Argumento* IX. *Epopseos, exposito num.* 24. 25. 26. 27. 28. 29. & præsertim quæ *num.* 28. habet de Cōmendatarijs Ordinum militarium in Hispaniâ & Lusitaniâ. *cum vers. Tertium denique.* & comperietur, quàm illum tranuersum agat repugnandi studium. Sic enim agit, quasi ego hoc argumento desumpto ex Commendatarijs, vsus fuerim: cum in mea tamen Consultatione nullus apex & *nullum* (vt ipse loquitur) *verbum reperiatur, nulla tippula.*

36 Quid ergò opponitur ad illius vim Argumenti infringendam ab Aduersario? Religiosos, & maximè Societatis, qui exactissimam profitentur Obedientiam, & propriæ voluntatis resignationē, non habere, *nec velle, nec nolle:* & in omnibus dependere à Superiorum arbitrio: ac proinde, si quid faciunt, non facere ex sua voluntate, sed ex illius, *quem vice Dei supra suum caput posuêre, cuius se subiecêre Imperio* atque adeò non liberè, sed coactè: ac licet Religiosi dependenter à voluntate Superioris facere possint dispositiones in pios vsus; id tamen arguere solum Dominium in communi, *nec* propterea *nisi frigidissimè argumentari eum, qui hinc probat,*

bat, condi posse etiam testamentum, quod est actus pendẽs à voluntate vnius, nec potest ab alieno arbitrio pendere: l. illa institutio. ff. de hæred Instit. neque ab hoc Iure esse excipiendos Scholares Societatis: cum etiam ipsi sint verè ac propriè Religiosi. quam multa quam paucis!

Respondeo primo, Religiosi etiam Professi, 37
de licentia, & consensu Papæ testari possunt, non obstante, quod non habeant *nec velle, nec nolle*, & renunciauerint propriæ voluntati, & testentur ex voluntate illius, *quem vice Dei posuerunt super caput suum* (nisi inficieris Papam esse Religiosorum supremum caput ac Superiorem) à quò non propterea cogi dicuntur, nec, quod agunt, coactè facere. Si ergò hæc omnia non impediunt, quò minus Professi testari possint; cur impedient Societatis Scholares? & ipsis solùm concedetur posse alias dispositiones facere, non testamentum?

Secundò Respondeo, Scholares Societatis po- 38
tiore iure testari posse quàm Professos, qui solùm sunt capaces administrationis; & quòd ijdem Scholares faciant id de Superiorum licentia, non arguere solum Dominium in communi, quia ipsi retinent Dominium particulare bonorum suorum, & non solùm in communi respectu bonorũ Religionis, vt Professi, & quominus de illis tanquam Domini disponere possint, impediuntur solùm voto, ex vi cuius nullam dispositionem facere possunt, saltem licitè, sine Superiorum cõsensu; hoc autem habito, possunt de suis bonis disponere, sicut quicunque alius secularis de suis.

39 Resp. tertiò, errandi, vel fallendi nos occasionem sumpsisse Aduersarium ex leg. *illa Institutio. ff. de hæred. instit.* quod est vnicum fundamentum, cui ipse innititur. Sed quam sit infirmum; ipse textus demonstrabit. Sic habet *Illa Institutio:* (quos Titius voluerit, esse hæredes) *ideò vitiosa est; quia alieno arbitrio commissa est. nam satis constat, & veteres decreuerunt, testamentorum iura per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere.* Accedat Gloss. quæ sic casum figurat. *Ita dixi in testamento meo,* Illos instituo mihi hæredes, quos Titius voluerit, *nihil valet. nam testamenta, & Institutiones non debent ab alieno arbitrio pendere.* In eodem sensu accipit *Bartolus, Alexander, & quicunque ab Aduersario citantur.* Quæro iam ab illo. quid est apud suris conditorem in textu, in quo ipse tantopere gloriatur, *Pendere ab alieno arbitrio?* respondet, *testamentum condere de alterius licentia, & consensu.* hoccine est Iura ex fide interpretari? Lex ait, *illa institutio; quos Titius voluerit.* hoc est, nominauerit hæredes, *ideò vitiosa est, quia alieno arbitrio commissa est.* Aduersarius ait, *Institutio, ac testamentum factum ab homine Religioso, (licet ipsemet testator hæredem dicat, nominet, nec cuiquam designandum committat) vitiosum est. quia testamentum non potest ab alieno arbitrio pendere:* egregia sanè Glossa, quæ textum destruit. apage. non egemus Glossis. ipsa lex exposuit, quid sit ab alieno arbitrio pendere. est autem hæredis nominationem alterius voluntati committere. Adde quòd illa interpretatio, licet esset vera, solùm haberet vim in dispositione testamentariâ ad causas profanas,

neuti-

neutiquam verò in testamento ad pias causas cõdito, adeoque validum est testamentum ad pias causas conditum, etiamsi alterius arbitrio cõmittatur. v.g. si dicas, *instituo hæredes bonorum meorum pauperes, quos Sempronius elegerit*. ita habet communis Doctorum sententia *in c. cum tibi de testam. Iul. Clar. quæst. 6. num. 5. Tiraq. priuil. 64. Less. lib. 2. c. 19. dub. 2. in fine. Molin. disp. 134. in fine, & disp. 157. §. legatum.* Quid ad hæc Aduersarius? num hæc ipsis etiam Iuris Candidatis perspecta, tantus, si Deo placet, Canonista ignorare potuit? an potiùs malitiosè inscitiam simulare, & fraudulento suo ratiocinandi modo nobis, Iudicibusque fucum facere voluit?

Vnum tantùm superest, quod nimium quantum indignè tulit Auctor *Epopseos num.* 78. Illud autem est, quòd in extremâ meâ Consultatione *gladium Excommunicationis strinxerim in viros eruditione egregiâ primarios Sacræ Theologiæ Professores, & in rebus Societatis perscrutandis diligentissimos.* Egone Excommunicationis gladium strinxerim? quî potuerim homo priuatus? monui solùm, vt illius Scripti, quod confutaui, Concinnatores vulnera sibi à GREGORIO XIII. inflicta curare vellent; idque feci summa modestiâ imò Christianâ charitate permotus, solùm hortatus sum, sicut & nũc hortor, rogoque *Epopseos* Auctorem, cuius tam libera vox, qua affirmat *in casu assertæ reuocationis Testamenti post votaemissa, Doctores quoscunque potuisse, & etiamnum posse etiam acerrimè disputare, modò non sit disputatio, qua nec impugnatur nec contradicitur* 40

ipsa sacra Religio; sed confirmatur, ac roboratur. hæc inquam, tam libera vox in alio sublimiori subsellio examinanda est. Iam verò, quod ait de *viris egregiâ eruditione primarijs Sacræ Theologiæ Professoribus*, sanctè testor, me tunc nescisse, quod dicit. Egi solùm contra eos, qui scriptum illud confecerant, quod ad manus meas mutilum peruenit. continebat enim solùm quatuor Quæstiones, & titulũ quintæ vsque ad illa verba *cum itaque Titius antequã fieret.* &c. Et licet integrum habere desiderarim (vt nihil relinquerem non refutatum) non potui tamen consequi: quia is, à quo Socij mei acceperant, importunissimè repetijt, antequam totum describi potuerit. quo factum est, vt subscriptiones, quas nunc *Epopsi* adiunctas video, tunc ne suspicatus quidem fuerim, potuisse à quoquam impetrari. Sanè à Theologis & Professoribus probatum fuisse illud Scriptum, ne in mentem quidem mihi venit. cum in eo ne mica quidem salis Theologici appareret. Nunc verò duo explorata habeo, primum Scriptum illud vnius tantùm Leguleï abortum esse, nec quicquam continuisse in reliqua quæstione quinta, quam non videram, quod egeret refutatione. Secundum; Illos Theologos credidisse Auctori loca citata ita habere, vt Scriptum referebat, quod quam sit falsum, puto postea intellexisse, & spero adhuc planius intellecturos, si hoc Auctarium in manus sumere non dedignati fuerint. Equidem *Sacræ Theologiæ Professores*, & Magistros præsertim *egregia eruditione primarios*, quales sunt huius Nobilissimæ Academiæ,

suspi-

ſuſpicio, colo, obſeruo, nec abnuo diligẽtiſſimos fuiſſe in perſcrutandis rebus Societatis, quando id Auctor affirmat. Vereor tamen, vt tam probè eas calleant, quàm idem prædicat. nunc ergò primum intelligo, quinam illi Subſcriptores fuerint. nec tamen illis infenſus ſum. imò paratus, ſi oſtẽdant ſe iniuria fuiſſe læſos; quantum in me eſt, ſatisfacere.

Suadebant amici, vt hanc *Epopſin* aliquanto 41
fuſius excuterem. Sed pręter quam quod his paucis meæ Conſultationi abundè conſultũ eſſe exiſtimo, non ſum paſſus id mihi perſuaderi, duas ob cauſas.

Prima eſt, tum quia nihil habet ſolidi, quod 42
vel mea Conſultatione, vel hoc Auctario confutatum non ſit; tum quia quicquid in hac *Epopſi* inculcatur, etiam mediocriter verſatis in Iure, & Theologia ſtatim per ſe apparet, quam ſit abſurdum, Specimen dediſſe, ſatis ſit in referendo argumento ex L. *Illa inſtitutio*.

Altera cauſa eſt, quod cognouerim Viro non 43
illiterato, & Societatis Amico in animo eſſe id præſtare, quod ego negligendum puto. ſi faciat; res erit lectu digniſſima. ait ſe oſtendere velle, *Epopſeos* Auctorem non ſatis benè inſtructum eſſe à natura, vel moribus, Memoriâ conſtanti, Intelligentiâ ſana, rectâ Voluntate. Addit enim in *Epopſi* non paucas eſſe antilogias, & contradictiones. Quod pertinet ad memorandi vim; multa peccari in Grammaticis, in Hiſtoriâ, in Dialecticis, in vtroque Iure communi, in Statutis particu-

laribus, & miserrimè in Theologicis: quæ omnia arguunt infirmam Intelligendi facultatem: Denique in *Epopsi* affirmat, notari posse mendacia non pauca conuitia, detractiones, susurrationes, & calliditatem non vulgarem cum imprudentiâ coniunctam. Quæ omnia certè non indicant hominem bonæ voluntatis, & amantem Pacis, verùm ego, quanto maximo conatu dehortatus sum, & dehortabor. haud tamen scio, quid sim impetraturus. Hoc polliceor, me probaturum non esse: nec quicquam ampliùs in hac Causa exaraturum. quandoquidem video contrasentientes posse quidem Scriptis coargui: sed à Magistratibus duntaxat coerceri; mihique bis iam luctatum fuisse cum Laruis, est plusquam satis.

QVAR-

QVARTA PARS.

EPOPSIS

Consultationis Mangionianæ vberius confutata.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
QVARTÆ PARTIS.

SECTIO PRIMA. *Quâ decem Epopseos argumenta contra retentionem Dominij post vota simpliciter missa in* Societate, *confutantur.*

SECTIO SECVNDA. *Quâ Confutationes Argumentorum pro Dominij Retentione, refelluntur.*

SECTIO TERTIA. *De Excommunicatione latâ contra eiusdem Dominij oppugnatores.*

PARS

PARS IV.

VRIS ille CONSVLTVS, qui *Consultationis* meæ de simplici Paupertatis voto, EPOPSIN edidit, multa de me grauiter (quantum audio) conqueritur: illudque imprimis, quòd, cùm vnicam Assertionem de Voti solemnitate ex solâ Ecclesiæ constitutione inuentâ paucissimis verbis circumscriptam, accuratissimè confutauerim; in *Auctario* eamdem EPOPSIN tam prolixam, tam multis argumentis explicatam, tam leui manu, tantâ breuitate reijciendam mihi esse censuerim. Sed is, primùm cogitare deberet, alium à me eximijs Theologis honorem habendum fuisse, ac ipsi homini ignoto; & nominis (mihi saltem) obscuri. Deinde, vt verum fatear, Ego pulchrum esse puto, imitari generosos illos milites, qui, vbi hostem prostratũ vident; turpe iudicant vltra tendere: & commiseratione dignos reor Mastigias quosdam, qui vno, vel altero ictu penè exanimati, indignari solent, quòd plures plagas non acceperint. Neque verò gloriosius, quàm verius à me dicitur, EPOPSEOS Auctorem fuisse prostratum. Nam decem omninò Argumentis conatus ille fuerat ostendere, Titium post Votorum emissionem, confirmasse Testamentum in sæculo conditum: ac bonorum suorum Dominium in Caium hæredem institutum transtulisse. meis verò rationibus, qui-

bus perſpicuè contrarium demonſtraueram, tri-
pliciter reſponderat. dixerat enim, quæ in Con-
ſtitutionibus Societatis & Pontificijs habentur
de retentione Dominij poſt vota ſimplicia, ea eſ-
ſe intelligenda, vel de *Dominio actiuo in communi*
vel *particulari* tantùm *paſſiuo*: vel certè Dominium
particulare actiuum poſt illa vota non concedi per
Conſtitutiones omnibus: ſed ijs duntaxat, qui iu-
ſtiſſimas haberent cauſas, ob quas cum ipſis di-
ſpenſaretur. Cùm autem ego, ſuppoſito, totam
hanc Cauſam in his duobus cardinibus verti, An
SVMMVS PONTIFEX poſſit ſtatuere, & An re ip-
ſa ſtatuerit, vt aliqui ſint verè ac propriè Reli-
gioſi cum retentione *Dominij particularis* bonorũ
ſuorum ad tempus; cùm, inquam, oſtendiſſem lu-
ce clarius, per APOSTOLICAM SEDEM ita fuiſſe
definitum de hominibus Societatis poſt Noui-
tiatum emittentibus vota; hinc liquidò conſta-
bat, nullarum eſſe virium omnia Aduerſarij ar-
gumenta, quæ deſumebãtur ex Iure poſitiuo cõ-
muni, præter quod ROMANVS PONTIFEX, qui
eſt ſupra totum eiuſmodi Ius, multa ſtatuere po-
teſt. Sequebatur etiam, non eſſe de Iure diuino,
vt vota ſubſtantialia Religionis priuent Domi-
nio bonorum temporalium. quoniam, ſi de iure
diuino eſſet; non potuiſſet contrarium à Roma-
no Pontifice definiri. Cum hæc igitur ita ſe ha-
berent; nihil ſupereſſe videbatur, cur amplius me
ſcribendo, alios legendo fatigatos vellem. Sed
quando video meo EPOPTÆ breui illo Auctà-
rio quatriduo concepto & edito factum non
fuiſſe

fuisse satis; curabo nunc, vt fiat: & non pauca, quæ ibi cursim perstricta, obscuriora fortè visa sunt, non grauabor in ipsius gratiam repetere & vberius exponere.

Præteribo autem tacitus splendidum illud mendacium, quòd tanquam adulterina gemma in fronte EPOPSEOS nitet: vbi dicitur illam fuisse *à Prouocante extortam*, cum ego nunquam fuerim quicquam in hac causa exaraturus, nisi, quémádmodum professus sum in Consultatione, iussus fuissem propulsare apertam vim, quæ & nostris & Summorum Pontificum Constitutionibus ab illius clancularij Scripti, quod eâdem Cõsultatione reieci, Authore illata iam fuerat.

Omittam stoliditatem, quam in *Epigraphe* præ se fert: dum inuidiam molitur creare Patribus Collegij Coloniensis referendâ Ordinatione Præpositi Generalis. nec miser intelligit, in illâ ipsa Ordinatione supponi, posse à Nostris cum Consanguineis conuentiones iniri super bonorũ temporalium exactionibus: & consequenter ab ijsdem ius aliquod eorundem bonorum retineri.

Tacebo de maleuolentia, quam in *Epistola nuncupatoriâ Nobilissimos, Amplissimos & Clarissimos Viros DD. Consules & Senatores* aduersus Societatem concitare nititur.

Nihil dicam de calliditate obscuris velata verbis, quâ in *Specie facti* supponit, quod erat probãdum, *Titium* videlicet *emisisse Vota cum intẽtione abdicandi à se omne ius ac Dominium rerum temporalium*. Ideoque *Caium iure earundem detentionem obtinentem*,

tem, mutasse sibi titulum possessionis ex tunc ciuiliter animo Domini possidere nisum. Silentio denique inuoluam arrogantiam, quâ se *in statu Controuersiæ* cum *Achille*, me verò cum aliquo, si Deo placet, *Thersite* comparat.

Venio ad ipsam EPOPSIN excutiendam, quam faciam per partes & quasi membratim; ne vllus malè coagmentati corporis articulus vllus suo actu careat. bifariam autem illam distinguo, in *Argumenta*, quibus probare contendit, Titium post vota fuisse destitutum bonorum suorum Dominio, illudque in Caium transmisisse: ac proinde testamentum deinceps condere, aut, quod in sæculo fecerat, reuocare non potuisse (quem ille ipse disertè affirmat esse *statum huius Controuersiæ*; & in *Confutationes Rationum*, quibus ego in meâ Consultatione contrarium ostendi.

SECTIO PRIMA.

Quâ decem Aduersarij Argumenta confutantur.

DEcem omninò, vt dicebam, sunt argumenta, quibus Aduersarius errorem suum stabilire conatur: non est tamen omnium vna & eadem vis: nec ad eundem Scopum destinatio. Primum enim solum ostendit (si tamen ostendit) Titium non potuisse reuocare Testamentum in sæculo factum. Reliqua (præter quartum, quo demonstrare nititur, esse nullum Testamentum conditum ad fauorem Collegij Coloniensis) contenunt,

dunt, Titium nullo modo potuisse testari: & Secundum quidem propter defectum vsus causalis competentis ratione Dominij: Tertium quia nõ fieret satis Ordinationi Præpositi Generalis. Quintum ob defectum Dominij particularis. Sextum ob defectum Dominij veri. Septimum ratione status, quia est mortuus ciuiliter, quoad vsum suorum bonorum, & consequenter quoad Dominium. Octauum ratione temporis, quia factio testamenti illi competit tantùm ante ingressum Societatis, non post. Nonum ob defectum propriæ voluntatis. quia Religiosus non habet nec velle nec nolle. Decimum propter fictam traditionem possessionis; eò quod emittendo vota sine protestatione reseruandi Dominium, effecisse videtur, vt Caius Hæres institutus, qui bona hæreditaria possidebat iure familiaritatis; mutauerit sibi titulum, & cœperit possidere suo nomine, & animo Dominij. Interserit etiam, nescio vbi, argumentum quoddam ex Iure diuino naturali: tanquam sit de essentia religiosæ Paupertatis, priuare illicò Vouentem omni Dominio, & iure bonorum temporalium: quod, licet sæpius confutatum sit; adhuc tamen paucis expẽdemus in solutione Argumenti secundi.

I. ARGVMENTVM.

à num. 3. vsque ad 9.

CONsilium Aduersarij est (nisi fallor) ostendere, Testamentum Titij in sæculo factum, 1

esse

esse irreuocabile ex duplici capite. Primùm ex natura communi omnibus Testamentis factis ante ingressum in Societatem. Deinde ex peculiari qualitate, quæ Titij testamento inest.

Ex primo capite sic argumentum formare licet ex ijs, quæ ipse admodum confusè habet.

2 *Ante ingressum in Societatem* IESV *qualibet dispositiones sunt validæ, etiam testamentariæ: Et post ingressum sunt irreuocabiles. Ergò dispositio testamentaria facta à Titio ante ingressum ad fauorem Caij fratris, post ingressum est irreuocabilis.*

3 Primam antecedentis partem probat ex Iure Societatis in *Exam. gener. c.* 8. §. 1. *lit. G.* & in Constitutionibus *part.* 3. *c.* 1. *lit. G.* vbi expressè dicitur, *quelibet ante ingressum de bonis suis temporalibus, suo arbitratu statuere posse.* Si *quilibet*, & *pro suo arbitratu*; ergò etiam Titius per testamentum.

4 Secunda pars antecedentis erat, omnes dispositiones factas ante ingressum, post eumdem esse irreuocabiles. Hanc vt probet, primum supponit EPOPSEOS *num.* 8. extremo ex doctrina *Baldi in l. cum Artemidoram. C. vt in posses. legat col. fin.* Statuto, aut Constitutione (*Baldus* habet *consuetudine*) posse tolli liberam reuocandi testamenti potestatem.

5 Deinde num. 4. sic argumentatur. *Qualitas adiuncta Verbo, debet intelligi secundùm tempus verb. l. in delictis. §. si extraneus, ff. de noxal. vbi Bart. & alij.*

Sed verbum in nostro proposito est disponere, *tempus est illud*, ante ingressum: *& qualitas adiuncta Verbo est* non Reuocare. *in exam. gen. c.* 4. §. 1. *qui textus est*

relatiuus

relatiuus ad alium. Part. 3. c. 1. lit. G. vbi dicitur quilibet posse disponere ad libitum suum ante ingressum.

Ergò per Constitutiones Societatis Testamentum factũ ante ingressum, post eundem est irreuocabile. ergò etiam Testamentum Tiry. Quæ erat consequentia Argumenti principalis.

Confirmat hoc totum ex *Lud. Molin. de Iust. tr. 2. disp. 129. & Nauar. Couar. Iul. Clar.* ab ipso *Molina* relatis, qui omnes Authores asserunt, Nouitios ante ingressum posse statuere de omnibus bonis suis temporalibus *pro suo arbitratu*: sed addit, per rationem adductam *à Molina* posse etiam testari irreuocabiliter. 6

Atque hoc est argumentum, quod Aduersarius adducit ex naturâ Testamenti cuiuscunque facti ante ingressum Societatis. Ex secundo autẽ capite, hoc est ex qualitate peculiari, quæ inest testamento Titij, sic argumentatur *num. 4. vers. 11.* Quia Titius.

Titius in suo testamento facto ante ingressum Societatis non se spoliauit omnibus bonis: sed retinuit ter mille imperiales: ergò reliqua omnia bona per ingressum incommutabiliter abdicauit. Antecedens patet ex facto ipso: cõsequentia probatur ex Regulâ. Reseruatio vnius est abdicatio alterius. 7

Responsio ad primum Argumentum, & primò ad primam partem antecedentis.

PRima antecedentis pars erat: *ante ingressum Societatis possunt fieri validè omnes & quæcunque* 8

disposi-

dispositiones, & consequenter etiam testamentariæ. Hæc non probatur ex adducto ab EPOPTA textu Const. *in exam. c.* 8. §. 1. *lit. G.* in eo enim cap. ne litera quidem G. reperitur, & in litera A. quæ sola ibi est, & in §. 1. nec vnum apicem EPOPTA inueniet de dispositionibus bonorum temporalium. Agitur enim solùm de dispositione animi necessaria illis, qui in Societatem admittuntur, tanquã *Indifferentes*: & dicitur, eos esse debere sic animatos; *vt non prætendant directè, nec indirectè potiùs hunc, quàm illum gradum: Sed dando locum perfectæ humilitati, & obedientiæ, omnem suijpsius curam ad quodcunque officium, vel gradum sint eligendi, suo Creatori ac Domino; & pro ipsius amore & reuerentia, Societati, ac Superioribus relinquant.* In *parte* ergò *tertia* solùm c. 1. lit. G. habetur, *quemlibet ante ingressum posse statuere de suis bonis pro suo arbitratu.* Sed si meus EPOPTA diligenter declarationem illius textus inspiciat; intelliget illas voces *pro suo arbitratu*, quas ipse num. 4. adiecta familiari sibi tessera *NB.* notari benè iubet; non esse referendas ad arbitrium, hoc est, ad facultatem disponendi, etiam per testamentum: sed ad libertatem intentionis finis, ob quem bona distribuenda sunt. Nam Constitutiones post ingressum in *Exam. c.* 1. § 1. requirunt *vt ingressi abdicent se omnibus suis bonis, distribuendo illa in pauperes & pias causas*: sed ante ingressum relinquunt hoc ipsis liberum; ita vt possint ea distribuere etiam in non pauperes, & causas prophanas. ita habetur expressè illa *lit. G.* vnde infertur, mentem Constitutionis esse, agere tantùm de *causâ finali* dispo-

sitionis

ſitionis bonorum, non de *formali*, qualem dicit, ſiue donatio irreuocabilis, ſiue vltima voluntas. Sanè, ſi SANCTVS FVNDATOR intendit eo textu agere de volentibus ingredi Societatem; (quod non eſt vero abſimile) mihi probabiliſſimum eſt, non fuiſſe illis ordinaturum, vt facerent teſtamentum, ſed diſpoſitionem irreuocabilem. Nam poſt ingreſſum vult, eos eſſe paratos ad diſponendum de ſuis bonis temporalibus irreuocabiliter in *Exam. c.* 4. §. 1. vel certè ad promittendum ſe *promptè relicturos omnia poſt vnum ab ingreſſu annum* ibidem §. 2. Quo ergò iudicio SANCTVS PATER eiuſmodi Candidatis ingreſſuris Societatem permiſiſſet factionem etiam teſtamenti, per quod non fit bonorum abdicatio irrretractabilis *l.* 4. *ff. de adim. legat.* ſi ſtatim ingreſſi debent eſſe prompti ad diſponendum de ſuis rebus irreuocabiliter.

Ex his omnibus concludo, non probari ab 9
Aduerſario illam primam partem Antecedentis, hoc eſt, per Conſtitutiones concedi facultatem etiam teſtandi; nec Conſtitutiones de huiuſmodi diſpoſitione agere. nam illam relinquunt in diſpoſitione Iuris communis, iuxta quod omnes nõ ſpecialiter prohibiti teſtari poſſunt *tot. tit. ff. & C. qui teſtam. fac. & Inſt. quibus non eſt permiſſ. fac. teſtam.* vbi DD. id notant *Graſ.* §. *teſtamentum. q.* 20. *n.* 1. *Hunnius in Encyclop. Iur. part.* 4. *tit.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Quare categoricè reſpondendo ad illam antecedentis partem; concedo quaslibet diſpoſitiones etiam teſtamentarias factas ante ingreſſum eſſe validas

ex vi Iuris communis, ex vi autem Constitutionum, positiuè nego, negatiuè concedo. Volo dicere, per Constitutiones Societatis dispositiones factas ante ingressum nullam vim positiuè acquirere, sed solùm negatiuè: quod est, per Constitutiones non prohiberi.

Responsio ad suppositionem pro probatione secundæ partis Antecedentis.

10 SVpponebat Aduersarius *num.* 8. *in fine*, dicturũ esse contra *Baldum* ad *l. cum Artemidoram. C. vt in possess. legat.* eum, qui negaret, statuto, aut consuetudine liberam reuocandi testamentum potestatem tolli posse. *Baldus*, meus Ciuis est. pro certo habeo illum, si defensus fuerit à calumniâ; probaturum esse institutum meum: si explicatus; non ægrè laturum. *Baldus* ergò eo loco proposuerat Quæstionem, Ecquod remedium competeret aduersus socerum quendam fœdifragum, qui ante nuptias Genero pactus fuerat, se instituturum filiam desponsandam, hæredem æqualibus portionibus cum alijs Sororibus, & post contractum matrimonium, non steterat promissis. & præter cætera, quæ ibi habet, proponit aliud dubium, An similia pacta accipere possint robur à statuto vel Consuetudine: & respondet, posse, licet videatur contra bonos mores (ciuiles.) Hinc infert Aduersarius *illo num.* 8. *in fine*, posse statuto auferri liberam reuocandi testamentum potestatem. Et, nisi fallor, ita ratiocinatur. Per statutum aut consue-

ſuetudinem poteſt confirmari pactum, quo qui ſe obligat ad inſtituendum certum aliquem hæredem, vt in illo caſu à *Baldo* formato, Pater ſe obligauerat ad inſtituendum hæredem æqualibus portionibus cum ſororibus, vnam ex filiabus, quam nuptui dare volebat. atqui talia pacta eſſent fruſtratoria, ſi teſtamētum reuocari poſſet: quia ad ſeruandam fidem datam poſſet condi Teſtamentum, & poſtea reuocari. ergò per ſtatutum, aut conſuetudinem poteſt induci neceſſitas, non reuocandi teſtamentum, & proinde auferri poteſtas reuocandi.

Reſpondeo, multipliciter hîc peccari ab Aduerſario. Primum enim *Baldus* non agit de pacto teſtandi; & multò minus, non reuocandi teſtamentum: ſed ſuppoſitâ neceſſitate inſtituendi aliquem certum hæredem, qualis eſt Parentis reſpectu Filij & Filiæ, agit de pacto inſtituendi illū in tantâ, vel tantâ portione. Patet, quia *Baldus* loquebatur de illo Patre, qui non poterat non inſtituere hæredem ſuam filiam. Pactum ergò illud, & ſimilia, de quibus *Baldus* agit, quando dicit, poſſe accipere robur à ſtatuto vel Conſuetudine, ſunt pacta, non de ſimpliciter inſtituendo certo hærede: ſed ſuppoſito, quod debeat inſtitui, de inſtituendo in maiori, vel minori portione cum cohæredibus. 18

Sed dato &, non conceſſo *Baldum* agere de Pactis teſtandi in fauorem certæ perſonæ: peccat Aduerſarius ſecundò inferendo. *Ergò per ſtatutum & Conſuetudinem auferri poteſt libera facultas reuocādi* 19

testamentum. Licet enim verũ fortasse sit, quod supra dicebatur, nõ fore firma pacta de aliquo certo hærede instituendo, nisi tollatur simul facultas tale testamentum reuocandi; non tamen ex illo antecedente *Potest per statutum vel Consuetudinem induci necessitas obseruandi Pactum de non reuocando testamento*, legitimè infertur hæc consequentia. *Ergò per statutum aut Consuetudinem potest induci necessitas non reuocandi testamentum.* Fit enim aperta mutatio terminorum. Cùm in antecedente dicatur *Potest induci necessitas obseruandi pactum de non reuocando testamento.* in Consequentiâ dicitur. *Potest induci necessitas non reuocandi testamentum.* Et, si volumus melius Elenchum deprehendere, formemus syllogismum.

Per Statutum & Consuetudinem mediante Pacto induci potest necessitas instituendi aliquẽ certum hæredem: at si talis institutio posset reuocari, non induceretur ista necessitas. Ergò per statutum & Consuetudinem potest induci necessitas non reuocandi testamentum.

Respondeo negando Consequentiam. quia in Maiori, termino quod est *subiectum* adiunguntur illæ particulæ, *Mediante Pacto.* & in consequẽtia mutatur suppositio. Dicitur enim solùm. *per statutum aut Consuetudinem potest induci necessitas*, &c. omissis illis verbis *Mediante Pacto*, quæ afficiebant subiectum.

13 Tertiò peccat in hoc, quod existimet, æquè induci posse obligationem non reuocandi testamentum, & obligationem obseruandi Pacta. Cũ

tamen

tamen longè diuersa ratio sit vtriusque. natura siquidem Pactorum pendet potissimùm à priuatâ voluntate paciscentium *l. 1. §. & est pactio. ff. de pact.* at natura testamentorum à Iure naturali & publico *l. testamenti. ff. qui testam. fac. poss.* Quare omnino malè arguitur ab vno ad aliud.

Quartò peccat, quod sine vllo textu, & sine omni Doctorum Auctoritate dicat, posse auferri facultatem liberam reuocandi testamentum: cũ tamen magnum Iurisconsultum profiteatur. 14

Quinto peccat, quòd id ipsum non solùm affirmat sine vllâ ratione, sed contra omnem rationem & legem naturalem, & positiuam ciuilem *in l. 21. §. 1. ff. de testam.* & canonicam, quæ omnia Iura sartam tectam esse volunt potestatem reuocandi semel condita testamenta. 15

Sextò peccat, quòd *Baldi* doctrinam, quæ in dictâ *l. cum Artemidoram.* est de Pactis dotalibus, cẽseat, posse applicari ad Pacta quæcunque, cum tamen illorum ratio sit valdè specialis & priuilegiata. 16

Sed esto (quod tamen pernegandum iudico) possit statuto vel consuetudine auferri libera potestas reuocandi testamentum in aliquo casu, putasne prudenter ac rationabiliter auferri etiam posse in casu, quo quis in sæculo testamentum condiderit & Religionem intrauerit?

Peccas septimo, & quidem grauissimè, si hoc putas. Sic ergò accipe. Cum status Religiosus multas habeat annexas difficultates, & naturâ suâ sit immutabilis; sapienter Iure positiuo de- 17

cretum fuit in *Concil. Trid. sess. 25. c. 16. de Regul. vt nulla renunciatio, aut obligatio facta ante duos vltimos menses Nouitiatus, etiam cum Iuramento, vel in fauorẽ cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentiâ Episcopi, siue eius Vicarij intra duos menses proximos ante Professionem.* Et addit, *huic fauori renunciari non posse.* Et ratio finalis Conciliaris huius decreti fuit: vt Nouitius diu haberet libertatem experiendi Religionem: nec cogeretur in eâ permanere, aut in eâ profiteri in casu, quo iam se abdicasset rerum suarum Dominio, quod facilè contingeret ob timorem mendicitatis, si rediret ad sæculum. Et Doctores communiter iam docent, hoc decretum non comprehendere testamenta, nec vltimas voluntates. quia sunt suâ naturâ semper reuocabiles. Vide *Nauar. com. 2. n. 51 de Regul. aliosq; complures apud Sanchez lib. 7. c. 5. in Dec. n. 13.* Imò aliqui negant etiam, comprehendi renunciationes sua naturâ irreuocabiles, si factæ sint intuitu Religionis. ita *Nauar. lib. 3. cons. 1. edit. de donat. n. 7. & 8.* dicens sic determinasse *Congregationem Cardinalium.* Vide *Sanchez ibid. n. 23.* Scio equidem Societatis Nouitios, hoc *Concilij Trid.* decreto non affici, vt infra ostendam. At hîc solùm id attuli, vt intelligatur esse, si non contra, at præter iura, & rationes, vt ingredientis Religionem testamenta illicò fiant irreuocabilia; Et, si Aduersarius sine discrimine asserat, posse statuto vel consuetudine auferri facultatem reuocandi testamenta; eum non æstimare prudenter.

17 Et, si contendat, tale Statutum aut Consuetudinem

dinem esse posse in aliquâ peculiari Religione; tenetur ad id probandum afferre textus, & probationes valdè claras; & in terminis. Contendit ille quidem, tale statutum esse in Societate IESV, & affert, vt initio dixi, textum ex *Exam. gen.* §. 1. vbi dicuntur omnes huius Religionis Candidati *debere omnia bona sua, quæ habuerint, distribuere in pia & sancta opera, submouendo omnem spem illa recuperandi.* Sed quam habeat vim illud argumentum, quod format de *Qualitate adiuncta verbo secundum tempus Verbi intelligendâ*, mox videbimus. Equidem difficultate hac licet me bis fæliciter, vt reor, expediuerim, semel in *Consultatione num.* 62. iterum in *Auctario à num.* 46. *vsque ad* 50. nihilominus, quoniã Aduersarius videtur, vel non posse vel non velle vim solutionis percipere, necesse habeo hîc iam tertiò rem totam enucleare. quod vt facilius intelligatur, ponam prius ante oculos, quid Iure communi, quid speciali Societatis totâ de hac materia dispositionum de bonis temporalibus decretum sit. Et postea ad argumentum secundũ, quo secunda pars antecedentis principalis probatur ab Aduersario, Respondebo.

Præcognoscenda de bonorum dispositionibus ingredientium Religionem ante vota pro solutione argumenti, quo probatur secunda Pars Antecedentis.

QVicunque se totum diuino seruitio mancipare cupit in ordine religioso, & arctam 13

Euangelicorum consiliorum viam ingredi. debet obedire CHRISTO dicenti *Matth.* 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes: & da pauperibus. Veni & sequere me.* In quibus verbis duo continentur. Absoluta bonorum omnium temporalium abdicatio, & eorundem erogatio in pauperes, seu pia opera. Hoc secundum ex communi Doctorum sententia & receptissima praxi, non est de præcepto: sed solùm de consilio. Videmus enim passim, Ingressuros Religionem renunciare omnia bona sua temporalia suis consanguineis: & in ipsa Religione, ante Professionem de ijsdé disponere, etiam irreuocabiliter in causas non pias; nec est de aliquo communi Iure positiuo humano, vt amplexuri statum Religiosum, vel ante ingressum, vel post ingressum ante emissionem Professionis, si de suis bonis disponere velint, debeant necessariò disponere ad causas pias.

19 Sola Societas nostra (quod quidem ego sciam) speciale statutum habet in *Exam. c.* 4. §. 1. 2. 3. & *Part.* 3. *c.* 1. §. 7. & *lit.* G. vt postquam quis ingressus est, teneatur ex peculiari promissione, quã facit initio sui ingressus, *sua bona in pauperes erogare, si de illis ante ingressum* (irreuocabiliter) *non disposuerit*, nõ excludendo tamen à nomine pauperum consanguineos, in casu, *quo duorum vel trium iudicio existimaretur, esse maiorũ perfectionis, & Deo gratius ob paupertatem eorum, vel alias ob causas, potiùs consanguineis renunciare.*

20 Illud autem primum, hoc est absoluta bonorum omnium temporalium abdicatio & renunciatio,

ciatio, ex suppositione, quod quis velit esse perfectus, & sequi CHRISTVM; est de præcepto. ita ista verba sonant. *Si vis, &c. Vade, vende.* Et concinunt alia *Lucæ* 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Est tamen difficultas multiplex circa huius Præcepti obseruationem. Et quid Iure communi fieri debeat, aut possit: quid Iure Societatis. quod hic breuiter exponam.

Primò. cùm hoc præceptũ *vade*, &c. sit affirmatiuũ; necessariò adimplendũ est per aliquem actũ positiuum: qui potest esse duplicis generis. Nam quidam actus ex sua intrinsecâ & propria natura habent vim priuandi Dominio rerũ: talis est largitio in pauperes, donatio inter viuos, vel renunciatio omninò irreuocabilis; imò ipse actus voluntatis volentis bona sua habere pro derelictis. Alij actus non habent hanc vim priuandi proprietate rerum suarum ex intrinsecis suis principijs: sed ex adiuncta aliqua ordinatione extrinseca. Talis est emissio Votorum solemnium. Et in nostra Societate, Votorum publicorum, quam faciunt Coadiutores formati absoluto Nouitiatu *Const. Part.* 4. *c.* 4. *lit.* E. GREGORIVS XIII. Bulla *Ascendente Domino*, toties memorata. 21

Non adimpleretur autem hoc Præceptum per solam factionem testamenti. patet. quia per testamentum non amittitur rerum Dominium: nisi per mortem naturalem, vel ciuilem confirmetur. *l.* 1. *ff. de testam. c. cum Marthæ. de celebra. missar.* Et quamuis, si Nouitius conderet testamentum, 22

& postea emitteret Vota solemnia; tunc fieret abdicatio bonorum; id tamen non fieret præcisè ex vi testamenti: sed ob adiunctam professionem in omnibus Religionibus, & ob Vota publica in Societate. Et quia testamentum est semper natura sua reuocabile. *l. 4. ff. de adim. legat.* ideò hinc habetur vna differentia maximè notanda inter Nouitios aliarum religionum, & inter Nouitios Societatis, & eiusdem Scholares post emissa vota. Nouitij enim aliarum Religionum non possunt cogi ante Professionem à Superioribus, vt disponant de suis bonis vllo modo. At Nouitij Societatis post primum annum cogi possunt in vim promissionis factæ initio ingressus ad disponendum absolutè *in pia & sancta opera.* Nam obligauerunt se ad disponendum irreuocabiliter, *submouendo à se omnem spem sua bona ampliùs recuperandi* in pauperes.

23 Quoad tempus adimplendi hoc Præceptum & abdicandi à se bona temporalia, de Iure communi non obligat statim, atque aliquis decreuit amplecti statum Religiosum, vel ante ingressum & susceptionem habitus, vel post. Imò post ingressum & inchoatum Nouitiatum, vt supra dixi, non potest validè fieri hæc abdicatio, nisi post elapsos decem menses, ex decreto *Concil. Trid. sess. 25. de regul. c. 16.* Vnde inferttur, neque ad hoc cogi posse, durantibus primis decem mensibus. Elapsis verò decem mensibus, possunt Nouitij validè renunciare suis bonis: non possunt tamen ad hoc compelli à suis Prælatis. &, si intra duos vlti-

mos

mos menses renuncient cum debitis solemnitatibus; tenet renunciatio.

In Societate, quoad hoc, est statutum speciali- 24
ter, vt *statim* atque quis est ingressus *debeat omnia sua bona distribuere in pauperes. Exam. c.* 4. §. 1. vel si ob *aliquam honestam causam non distribuat; promittat se distributurum post vnum ab ingressu annum, quandocunque superior iniunxerit. ibid.* §. 2. At, si Nouitius velit, potest etiam statim, & semper toto primo & secundo anno Nouitiatus currente, disponere irreuocabiliter de suis bonis, non obstante *Concil. Trid.* decreto supra allato, quod Societatis Homines ibidem excipit. Vide *Less. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 4. *n.* 41. *Molin. de Iust. & Iur. tract.* 2. *disp.* 139. *A.* 7. *Sanchez in Dec. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 9. *Emanuel. qq. reg. tom.* 2. *q.* 47. *art. vlt.* Est tamẽ aduertẽdum, quod dicitur in *citato* § 1. *c.* 4. Ingressos Societatẽ debere *statim* sua bona dare pauperibus, ita esse intelligẽdũ, vt significet non præcepti necessitatem, sed decentiã & congruitatem quandam, vt infra fusius ostendetur.

Quoad facultatẽ disponendi *validè* de proprijs 25
bonis. In alijs Religionib⁹ de Iure cõmuni Nouitij intra primos decem menses validè testari possunt; at aliæ renũciationes sunt irritæ ex eodẽ *Cõc. Trid.* In Societate autem testamenta Nouitiorum valida sunt, etiamsi fierent inscio Superiore. ita *Molin. de iust. tr.* 2. *disp.* 139. *vers. etsi vero. Sanchez in Dec. lib.* 7. *c.* 3. *n.* 5. Aliæ dispositiones irreuocabiles ad pias causas non sunt nullæ, si fiant de consensu Superiorum, etiam toto tempore Nouitiatus. Quia, vt supra dictum est, Nouitij Societatis de-

creto

creto *Concil. Trid.* non comprehenduntur. An verò huiusmodi dispositiones irreuocabiles forent irritæ, si fierent sine Superioris consensu, maximè in causas profanas, vel in consanguineos, non seruata forma Constitutionum, quæ præscribunt, debere fieri *cum consilio duorum vel trium*; *Laym. lib. 3. Theol. moral. tr. 5. c. 7. n. 11.* putat esse nullas, vtpotè factas contra Constitutiones: & consequenter nõ exceptas à *Concil. Trid.* huc facit quod actus, qui cum consensu alterius confici debet, non valeat, nisi consensus ille interueniat *Menoch. 6. Præsump. 34. n. 16. Sanchez autem lib. 7. c. 5. n. 10.* putat esse validas, quia *Concilij Trid.* mens fuit, non impedire Nouitios Societatis, quo minus possent iuxta suũ Institutum suis bonis se abdicare, non solum toto tempore Nouitiatus, sed etiam in ipso ingressu. Licet autem illi etiam intra decem primos mẽses Probationis se abdicent suis bonis; non faciũt contra Constitutiones. Vtraque sententia probabilis est.

26 Quoad facultatem disponendi *licitè*. In alijs Religionibus Nouitij testari possunt licitè de rebus suis. quia nullum est Ius, contra quod fiat; aliæ autem renunciationes irreuocabiles, quæ si ab illis fierent, essent irritæ, An forent illicitæ? dubitari potest. quia, licet non sint adstricti Votis; tamen videtur esse contra rationem, velle facere actum illum inualidum. In Societate autem testamenta Nouitiorum, si fierent cum Superiorum licentia, sine dubio non solùm valida, vt dictum est, sed etiam licita essent. si verò absque consensu

Molin.loc.cit. putat, Nouitios peccaturos esse: quia videntur facere contra promissionem factam initiò de disponendo in pias causas irreuocabiliter iussu Superioris. *Sanchez loc. cit.* negat, Nouitios peccaturos: dummodo habeant intentionem reuocandi illud testamentum, & disponendi in pia opera, quando Superior iusserit. quia hoc modo non contraueniunt suæ promissioni, qua se obligarunt ad disponendum irreuocabiliter iubente Superiore: non autem ad non disponendum per testamentum, quod non excludit facultatem disponendi postea irreuocabiliter. Vtraque sentētia potest sustineri, magis tamen placet prior. quia non est dubium, quin sit aliqua inordinatio & otiositas in illo actu testandi. Excipiendus tamen est articulus mortis, in quo etiam Superiore inuito Nouitius Societatis testari posset, propter competentem omnibus testandi facultatem. ita *Sanchez lib. 7. c. 3. n. 5. Tannerus tom. 3. disp 6. q. 3. dub. 6. n. 206.* De alijs dispositionibus irreuocabilibus sine consensu Superioris ad pias causas, ambigi potest, An essent futuræ illicitæ. quia ex vna parte non apparet, contra quam prohibitionem forēt. non enim sunt contra promissionem initio factā, qua se astringunt solum ad disponendum, quando Superior iniunxerit; non tamen se obligant ad non disponendum etiam antequam hoc ipsis iniungatur. & disponendo in pias causas, conformantur menti Constitutionum. Ex altera autem parte videtur aliqua inordinatio disponere de suis rebus irreuocabiliter inconsulto Superiore,

sub

ſub cuius directione & obedientia viuunt Nouitij. hoc certum eſt, ſi ſine Superiorum licentia diſponerent irreuocabiliter in cauſas non pias, fore diſpoſitiones illas illicitas, cum promiſerint ſe ſua bona in pia opera diſtributuros.

Reſponſio ad ſecundam partem Antecedentis initio propoſiti Argumenti.

27 DIcebatur illa ſecunda parte, teſtamenta facta ante ingreſſum eſſe irreuocabilia; & probabatur ex textu in *Exam. c. 4. §. 1.* iuncto alio textu *part. 3. c. 1. lit. G.* hoc modo.

Qualitas adiuncta verbo eſt intelligenda ſecundum tempus verbi. ſed verbum eſt Diſponere *etiam per teſtamentum ex loco citato tertiæ Partis; &* Qualitas *eſt* Non reuocare *ex loco citato in exam. Et* tempus *eſt* Ante ingreſſum *ibidem par. 3. Ergò diſpoſitio teſtamentaria facta ante ingreſſum, poſt eundem eſt irreuocabilis.*

28 Bis iam, vt ante monui, reſpondi, me in illo textu Examinis nòn reperiſſe illas voces *Non reuocare*: & nunc etiam tertiò poſtquam induto Aduerſarij mei, hoc eſt EPOPTÆ genio diligentiſſimè locum *inſpexi*, ſeriò confirmo, me illas voces non reperire.

29 *At*, inquit, *reperiſti ibidem verba æquipollentia.* Sunt autem hæc: *debent diſpenſare tamen hæc bona iuxta propriam deuotionem, & à ſe omnem fiduciam ſubmouere eadem vllo tempore recuperandi.*

30 Ain' verò eſſe Æquipollentia, *Debent non reuocare* teſtamentum factum, &, *Diſponere de ſuis bonis*

à ſe

ase omnem fiduciam submouendo, &c. vel, vt breuius dicam, *Disponere irreuocabiliter*? æquus iudicet Lector, an hæc sint æquipollentia. *Non reuocare* est quiddam negatiuum & omissio actus, & materia præcepti negatiui: *Disponere* autem est quid positiuum, & actus positio, & obiectum præcepti affirmatiui; *Non reuocare* testamentum spectat solũ ad eos, qui ante ingressum testati sunt, vel solùm ad eos, qui post ingressum testati essent, *Disponere autem irreuocabiliter* pertinet tam ad istos quàm ad alios, qui nullo modo disposuerunt.

Video quid respondere paret Aduersarius. dicet, ista duo æquipollere; quia sæpè præceptum affirmatiuum æquipollet negatiuo, & contra. 31

Sit ita. At eiusmodi præcepta semper obseruanda sunt vel per positionem actus præcepti, vel per omissionem actus prohibiti, In nostro casu non ita contingit. Nam præceptum de disponendo de suis bonis irrecuperabiliter, non impletur, *Non reuocando testamentum*, & per istam omissionem. quia, posito etiam quod quis non reuocauerit testamentum in sæculo factum, adhuc retinet bonorum suorum Dominium. Adde quod textus *Examinis* citatus & locus *tertiæ Partis* volunt, dispositionem esse faciendam in pauperes; At *Non reuocare* testamentum factum ante ingressum, per se non continet dispositionem bonorum in pauperes: quia potest contingere, vt testamentum sit factum ad causas profanas: Et sanè tale est testamentum Titij. Ex quibus omnibus patet, nullo modo posse dici 32

iuxta

iuxta ſenſum Conſtitutionum eſſe æquipollentia *Non reuocare* & *Diſponere irreuocabiliter*. imò ſi iſta duo æquipollerent; eſſet manifeſta contradictio in illo textu *exam. c.* 4. §. 1. qui textus expreſsè vult, bona diſtribui in pauperes & pia opera. iuxta ſenſum autem Aduerſarij vellet, diſtribui etiam in non pauperes. Quod accideret, ſi teſtamentum fuiſſet conditum ad cauſam non piam, vt accidit in teſtamento Titij.

33 Sed concedamus (quod tamen negandum eſt) illa duo eſſe æquipollentia. Expendamus quãtam vim habeat ratio inde formata; *Qualitas adiuncta verbo* &c. *Qualitas* eſt, *Non reuocare*; Verbum eſt *Diſponere irrecuperabiliter*.

Profectò non poſſum mirari ſatis EPOPTÆ ingenium (erraui, memoriam volui dicere) paulò ante dixerat, Æquipollentia eſſe *Diſponere irreuocabiliter* & *Non reuocare teſtamentum*. Nunc ait, *Diſponere* eſſe *Verbum*. *Non reuocare* eſſe *Qualitatem Verbi*. Quis *Oedipus*, quæ *Sphinx* hæc ænigmata explicabit? Nunquam mihi perſuadebitur. *Non reuocare* eſſe *Qualitatem Verbi*. quia *Non reuocare* eſt verbum actiuum, ſicut eſt *Diſponere*, vt Aduerſarius putat, qui exiſtimat, tam per vnum, quàm per alterum, obſeruari verba Conſtitutionum. Sed hæc obiter dicta ſint. Examinemus rem ipſam diligentius.

34 Pro fundamento ſuæ argumentationis Aduerſarius ſumit *text. ex l. in delictis. §. ſi extraneus. ff. de noxal.* in quo textu determinatur, quod ſi aliquis ſeruus vidente ac ſciente. v. g. Sempronio damnũ dede-

dederit, & postea Sempronius eum emerit; tenetur actione noxali: non tamen in solidum, vt ibi *Gloss.* & ratio est. quia licet, si Sempronio iam domino videte, seruus damnum det; idem Sempronius teneatur non solùm illud dare noxæ, sed etiam in solidum satisfacere damnum passo; tamẽ, quia quando damnum datum fuit ab illo seruo, Sempronius non erat Dominus: nec ei inerat ista qualitas Domini; non tenetur in solidum. licet ipso vidente damnum datũ fuerit. Vnde Doctores eliciunt illud axioma adductum ab Aduersario ex *illa l. Qualitas adiuncta verbo* &c.

Persimilis est nostra quæstio decisioni prædicti casus, quæ similitudo, vt magis appareat, formemus geminam quæstionem.

In primâ quæritur. *An Sempronius teneatur satisfacere in solidum.* In secundâ. *An Titius teneatur non reuocare testamentum.* In illâ *verbum* est, *dedisse damnũ*: In hac *fecisse testamentum.* In illâ *tempus verbi* est illud, *Antequam Sempronius emeret seruum.* In hac *tempus* est illud, *antequam Titius ingrederetur Societatem.* In illâ *Qualitas verbi* est, *esse Dominũ.* In hac est, *esse iam ingressum Societatem.* Ergò sicut in primâ quæstione Sempronius *non tenetur satisfacere in solidum*, quia quando fuit damnum datum, non erat dominus illius serui, ita in secundâ *Titius non tenetur Non reuocare testamentum.* quia quando testamentum fecit, non erat ingressus Societatem. Itaque ex Aduersarij interpretatione infertur penitus contrarium, ac ipse velit.

Sed volo illi aliquid amplius concedere, vt 35

planius intelligat, quàm turpiter erret. Supponamus in *Exam. c.* 4. §. 1. Esse hęc formalia verba. *Ingressus Societatem non potest reuocare testamentum.* adhuc posset reuocare testamentum factum in sæculo. quia *Qualitas adiuncta verbo est intelligenda secundùm tempus verbi*, & non secundum aliud tempus. *Qualitas* in nostro casu est *Titium esse ingressum in Societatem*; *Verbum* est, *fecisse testamentum.* Ergò sensus est, quod non possit reuocare testamentum factum tempore, quo iam erat ingressus, & non factum tempore, quo non ingressus erat. Videat ergò aduersarius, An hoc loco bellè cadant ipsius verba in me contorta, in EPOPSI *num.* 29. *Allegauit ergò, quod iure timere debebat à nobis sibi opponi, dignus reprehensione Lud. Rom. & Alex. Est vitium Aduocati, & magna imprudentia, quando aliquis allegat id, quod vehementer debebat reformidare, ne ab Aduersario allegaretur.*

36 Placuit primum hoc Aduersarij Argumentum paulò diligẽtiùs excutere, vt intelligeret, ne summo quidem Iurisperito facilè esse, vno aliquo axiomate ex libris Digestorum vel Codicis producto, imponere Hominibus, non dico in Theologicis, aut Philosophicis, sed in solis Dialecticis mediocriter exercitatis. Nõ eo tamen inficias, EPOPTAM aliquâ specie probabilitatis allucinatum, affirmare potuisse, esse Æquipollentia illa duo. *Disponere irreuocabiliter*, & *Non reuocare testamentum factum.* nam ex vna parte Constitutiones nullum genus dispositionis factum ante ingressum Societatis prohibent; ex altera videbat in

Exam.

Exam.c.4.§.1. decerni, vt in ipso ingressu Cãdidati disponant irreuocabiliter de suis bonis. existimauit ergò,(sed falsò,)vt ostensum est, Societatis Constitutiones positiuè approbare etiam testamenta facta in sæculo, & illa quodammodo ratificare, & reddere irreuocabilia: Et hoc modo, Candidatum non valentem iam reuocare testamentum factum ante ingressum, fecisse idem, ac si in ingressu disposuisset irreuocabiliter, seque dominio rerum suarum abdicasset.

Sed, vt tandem fateatur, se magnopere decipi; 37
Quæro ab illo, an putet eum, qui testatus fuit ante ingressum, statim post ingressum amittere dominium suorum bonorum irrecuperabiliter, ac si illa donasset inter viuos: An potius egrediens è Nouitiatu possit illa recuperare. Primum Aduersarius dicere non potest. quia si hoc vellent Constitutiones: nimis duram legem statuerent ingredientibus, vt statim amitterent Dominium bonorum suorum, de quibus disposuerunt per testamentum. Si secundum, iam sequitur *Non posse reuocare testamentum*, non æquipollere *dispositioni irreuocabili*, quia per hanc statim disponens amittit perpetuò dominium rerũ suarum. At per impotentiam reuocandi testamentum, non amittit.

Corollaria quibus quarundam mearum responsionum Veritas stabilitur, & Aduersarij impugnationes conuelluntur.

EX hactenus demonstratis, hoc est, non esse 38
ablatam ingressis Societatem, facultatem re-

uocandi testamentum, infertur. 1. Solidam esse meam responsionem in Consultatione *num.* 62. vbi negaui, *in Exam. c.* 4. §. 1. determinari, testamentum factum ante ingressum reuocari non posse: & adieci rationem, quia Constitutiones eo loco non sunt contentæ quacunque distributione bonorum; sed volunt, fieri irreuocabilem in pia & sancta opera: quod non fit per testamentum sua natura reuocabile vsque ad mortem casu, quo ante ingressum Societatis conditum sit. Aduersarius ergò *num.* 6. oppugnat hanc meam responsionem duobus argumentis. Primò, *quia*, inquit, *clausula Examinis, quæ iubet disponi in pia opera, non est necessitatis, sed consilij*: probat hoc, *quia si esset necessitatis, sequeretur, Dominium ingredientis Societatem ab abdicante non transire nisi dicto modo, id est, distribuendo res suas in pia opera, quòd est sine dubio absurdum. probatur sequela. nam inde fieret, aut nullarum esse virium donationem factam non pauperi, nec per illam amitti dominium: aut, si amittitur; per ingressum in Societatem reuocari eam donationem, & Dominium recuperari: quod vtrũque*, inquit, *est plenum ruris, & insæcetiarum.*

39 Concedo, hæc duo esse absurdissima, sed nego reliqua omnia. primum enim falsum est, non esse necessitatis, sed consilij distributionem in pia opera iniunctam illo loco examinis, ingressis iam in Nouitiatum, vel saltem petentibus admitti; contrarium enim supra probaui, esse nimirum Necessitatis quoad substantiam distributionis in opera pia; licet non sit quoad tempus. quia textus

verba

verba expressa sunt: & in ijs est verbum *Debent*, quod per Aduersarium importat præcisam necessitatem. tum quia *eiusdem capitis* §.2. exigitur promissio de distribuendis bonis in pia opera post primum annum. Promissio autem importat debitum, & necessitatem. Et sicut iuxta hanc promissionem distributio necessariò facienda est in opera pia; ita in eadem opera facienda est statim in ingressu, si tunc fiat.

Nego secundò. Si hæc dispositio irreuocabilis, 40
sit necessitatis; donationem factam ante ingressum non pauperi, nullarum fore virium, & irritabilem per ingressum: nam Constitutiones, licet velint ingressos distribuere sua bona in pauperes, & causas pias; non propterea irritant factas ante ingressum in causas profanas, vt sæpè dixi: irritoto Iure Societatis vllum est *vt 17. 2. de Iust. disp.* tentur. Imò existimo [illegible] Iurisdictionem ad eas ex 139. non [illegible] capite irritandas.

Nego tertiò, Si distributio in pauperes esset 41
necessitatis; fore vt Dominium ingredientis ab abdicante non transiret per donationem factam non pauperi. aut si transiret, eam donationem reuocari, & bona recuperari per ipsum ingressum, quia Constitutiones præcipientes, fieri debere dispositiones solùm in causas pias, non agunt de dispositionibus factis in sæculo; sed illas, vt sæpè dixi, relinquunt naturæ suæ. agunt enim de dispositionibus faciendis ab ijs qui petunt admitti ad Societatem, vel iam sunt in Societate.

42 Secundò probat *num.* 6. non esse necessitatis, sed consilij, distributionem in pia opera; *quia quoties qualitas non annectitur ad Essentiam actus, non est necesse vtrumque verificari: Zas. in l. 7. §. 1. ff. quibus ex causis in posses. eat. qualitas autem illa* in pia opera *non*
43 *annectitur ad substantiam distributionis.* Vehementer fallitur, dum putat, non annecti. nam *in Exam. c. 4. §. 1. & 3. part. c. 1. lit. G.* expressè habetur contrariũ. Confirmatur ex dictis. quia promissio, quæ exigitur ab ingredientibus, est de distribuendis bonis *in pia opera*, ergò etiam distributio, si fiat in ingressu, in eadem opera pia fieri debet.

44 Ex his cognoscere potest EPOPTA, quàm lõgè aberret à Veritatis tramite, sed inde omnis [illegible] lem allucinatio oritur, quia putat, esse æquipol- *uocare testamen. Disponere irrecuperabiliter & Non re-* subdidi, debere fieri dispo[illegible] ex vi Constitutionum solùm ad pia opera; ille existimauit me [illegible] irreuocabiles, Constitutionibus iuberi reuocari omnes dispositiones. Nil tale dixi. imò pluribus locis contrariũ affirmaui. Dixi solùm, Constitutiones velle, ingressos disponere irreuocabiliter. Si apud EPOPTAM sunt æquipollentia ista duo (in quo iam intelligit se toto cælo errare) cur ego culpor, & mea dicta vocantur *plena ruris & inficetiarum.*

45 Infertur secundò verè me dixisse, per *textum illum exam. c. 4. §. 1.* non probari ab Aduersario, *non posse reuocari testamentum factum in sæculo*, sed potiùs probari, esse reuocandum.

46 Respondet autem *num. 8.* & repetit *num. 65.* Ex

hac

hac meâ doctrinâ sequi, verba Constitutionum nihil operari, quod est inconueniens ex Tiraquel. de Retract. P. 1. §. 9. Gloss. 2. num. 58. Et alijs. quia Constitutiones eo loco Examinis iubent, non reuocari quascunque dispositiones factas in sæculo. Ergò si per me ab his excipiuntur testamentariæ; Lex nihil operatur, cum aliæ omnes præter has sint irreuocabiles natura sua; & absque decreto Constitutionum.

Consequens est verum, sed falsissimum antecedens. Nam, vt ostendi, *eo textu Examinis* non decernitur, quascunque dispositiones factas ante ingressum reuocari non posse: sed solùm vt ingressi disponant de suis rebus irreuocabiliter in opera pia. Vnde hinc infertur, testamentum Titij debere reuocari; cum sit factum ad causas non pias, nec habeat vim priuandi testatorem Dominio, nisi secuta morte naturali, vel ciuili. 47

Infertur tertiò, quàm verè dictum fuerit ab Aduersario *Textũ Exam. c. 4. §. 1.* de Distributione bonorum in pauperes, esse relatiuum ad *textum part. 3. c. 1. lit. G.* de facultate disponendi *pro suo arbitratu.* falsissimum enim est, *esse relatiuum* in sensu, quo asseritur ab Aduersario, qui putat esse æquipollentia *Disponere*, & *Non reuocare*. Concedo ergò illi in hoc sensu esse relatiuum, quod *textus 3. part.* agat de non ingressis Societatem, *Textus examinis*, de Ingressis: ille permittat quascunque dispositiones tam irreuocabiles; quàm reuocabiles: hic postulet irreuocabiles: ille concedat disponi ad quascunque causas, etiam profanas: hic solùm ad pias: ille velit, donari posse consanguineis sine vlla 48

conditione: hic *dummodo sint pauperes*, &, *si aliorum iudicio putetur fore maioris perfectionis, vel Deo gratius.* Si huiusmodi textus EPOPTÆ *sunt relatiui*, non abnuo. iudicent Summulistæ.

Responsio ad Confirmationem ex Lud. Molina petitam.

49 ARgumentum hactenus confutatum confirmare intendit Aduersarius *num 4. vers. hoc argumentum. ex Molin. tract. 2. de Iust. disp. 139.* hoc modo. *Nouitij ante, & post ingressum statuere possunt de omnibus suis bonis temporalibus pro suo arbitratu, etiam irreuocabiliter: Titius ante Ingressum est testatus de suis bonis. ergò illius testamentum post ingressum est irreuocabile.* maiorem quoad illam partem, *quod ante Ingressum Nouitij testari possint*, non habere difficultatem, certum est. quoad aliam, hoc est, *posse testari irreuocabiliter*, probari asserit *per rationem subiunctã ab ipso Molinâ* his verbis. *Alioqui eo ipso, quod quis ingredi vellet Religionem, req; ipsa ingrederetur, rescinderẽtur multa, quæ valida re ipsa fuerunt. quod est ridiculum, nec puto esse in Ecclesia Iurisdictionem ad ea ex hoc capite reddenda inualida. neque vllâ ratione est credendũ, id Ecclesiam voluisse. præsertim cùm neque cum illius Constitutionis fine congruat.*

Si vsquam; hoc me profectò loco, Aduersarius in stuporem dat. *Molina* enim in illa ipsa *disp. 139.* hæc verba habet. *est obseruandum in nostrâ Societate, non posse Nouitium sine Superioris licentia testari, quod cum eâ lege recipiatur; vt nihil nisi conscio & approbante*

Supe-

Superiore (dum inter nos esse voluerit) efficiat, adhibitaq; simplici promissione recipiatur, quod peracto primo probationis anno, quandocunque Superior id iniunxerit, promptè & omninò ita de omnibus suis rebus, modo supra explicato, disponat; vt spem omnem illas iterum consequendi amittat; sanè contra fidem datam, contra idq;, quod recta ratio postulat, inprimis faceret, si sine facultate & approbatione Superioris testaretur, idq; sufficientissimũ esset, vt, tanquam nostro Instituto indignus, continuò expelleretur à nobis. Et paulò post hæc habet. *Hinc iam facilè intelligitur, quo pacto accipiendum sit, quod supra ex nostris Constitutionibus retulimus:* nempè quemcunque nostrorum ante suum ingressum in Nouitiatum statuere posse de omnibus suis bonis pro suo arbitratu. *Id namque intelligendum est, non per vltimam voluntatem, quæ solùm firma fit per mortem naturalem ita disponentis: aut per professionis, aut votorum Coadiutorum spiritualium, vel temporalium emissionem. Sed intelligendum est per donationem inter viuos siue ad pia, siue ad profana: alioquin esse possent multi inter Nos, qui etiã Superiore iubente, non tenerentur vsq; ad professionẽ, aut gradũ Coadiutoris abdicare omninò à se res suas absque spe illas iterum obtinendi, eisq; fruendi, quod esset contra Constitutiones, & Societatis paupertatem. Quare si quis ingrederetur Nouitiatum condito prius testamento, admonendus esset peracto primo probationis anno teneri, quãdo Superior id iniunxerit, illud reuocare & disponere omninò ad pias causas de omnibus suis bonis; aut, si quid cõsanguineis velit largiri; interueniente iudicio, & approbatione duorum, vt dictum est;* hactenus *Molina*, à quo Aduersarius ait confirmari argumentum suum,

quo probauerat, testamentum factum ante ingressum Societatis reuocari non posse: profectò nunquam illi deesse poterunt argumenta, si talibus vtitur.

50 Sed videamus, an per rationem, quam à *Molina* subiungi dicit, probetur, *posse Nouitios ante ingressum testari irreuocabiliter*. Ratio autem dicitur ab illo cõtineri in his verbis *Molinæ*: *Alioqui eo ipso, quod quis ingredi vellet religionem, req; ipsa Nouitiatum ingrederetur, rescinderentur multa, quæ alias valida fuerunt*. &c. vide supra.

Primum dico. Si *Molina* afferret hæc verba, vt probaret, testamentum factum ante ingressum fieri irreuocabile per ingressum: ipsius ratio non esset ad rem, quî enim ex hoc Antecedente. *testamentum factum in sæculo est reuocabile post ingressum*: deducitur hæc consequentia: *ergò per ingressum rescinduntur multa. quæ re ipsâ valida fuerunt*. v.g. donationes inter viuos. Negatur consequentia ista. debuisset inferri quiduis aliud.

51 Secundò dico, falsò asseri ab Aduersario. *Molinam* illam rationem subiungere, *vt probet, testamentum factum ante ingressum in Societatem esse irreuocabile*. nihil minus. *Molina* proposuerat hoc dubium: *An ea Constitutio* (Concilij Trid. sess. 25. de regul. c. 16. irritans renunciationes omnes Nouitiorum non factas ante duos vltimos menses) *intelligenda esset solum de renunciatione, aut obligatione irreuocabili factâ post ingressum in Nouitiatum: an verò etiam de eâ, quæ facta esset ante susceptum habitum, & inchoatam probationem*. Et respondet cum distinctione. *distinguendum*

guendum est (inquiẽs) *num in sæculo sit facta sine intuitu, & animo ingrediendi religionem; an verò intuitu ingrediendi. & quidem priori euentu, nulli potest esse dubiũ validam esse: neque comprehendi eâ Constitutione* (Cõcilij) Et subdens rationem. *Alioquin*, inquit, *eo ipso, quod quis ingrederetur* &c. quæ sunt verba citata ab Aduersario. Itaque *Molina* volens probare, à Cõcilio Trid. non irritari renunciationes factas ante ingressum à Nouitijs suâ naturâ validas & firmas, quando factæ sunt absque intuitu religionis; dat pro ratione, *quia alioqui multa rescinderentur per ingressum religionis, quæ reipsa fuerunt valida.* ergò *Molina* nullo modo loquitur de testamentis, quæ licet reuocabilia sint post ingressum; non inde efficitur, vt aliæ renuntiationes suâ naturâ validæ & firmæ ingressu religionis rescindantur. Et tamen Aduersarius tantam vim putabat inesse in *Molinæ* testimonio, quod partim est contra ipsum proferentem: partim omnia alia probat. Ite nunc, fidite EPOPTÆ, cui non satis est suo marte & suis verbis paralogizare, nisi etiam magna & preclara Ingenia ipsorum & verbis, & sententijs hinc inde collectis, & malè consarcinatis paralogizare cogat cauillator egregius.

Responsio ad Argumentum ex Qualitate peculiari, quæ inest testamento Titij.

EA qualitas est, *quod Titius in Testamento facto ante ingressum Societatis, iure legati reliquit Societati ter mille daleros imperiales*, vt ipsemet Aduersarius 52

habet

habet In *Facti specie* initio EPOPSEOS proposita. argumentum ergò erat hoc. *Titius ante ingressum reseruauit sibi ter mille imperiales; at reseruatio vnius est abdicatio alterius; ergò reliqua omnia bona per ingressum incommutabiliter abdicauit.* Ad hoc argumentum Respondeo, hæreditatis & legatorum testamento non inofficioso datorum parem esse rationē; nec posse confirmari testamentum, quoad bona hæreditaria, & non quoad legata. *Graff. §. legatum. q. 67. n. 2.* facit §. 34. *Inst. de legat.* cum ergò Aduersarius, per ingressum putet Titium abdicasse reliqua omnia bona hæreditatis, eorumque dominium in Caium transmisisse; erit pariter abdicatum Dominium ter mille imperialium: nec poterit hîc habere locum Regula. *Reseruatio vnius est abdicatio alterius.* Et testator condens testamentū, in quo sint aliqua legata, dum viuit, retinet dominium & bonorum hæreditariorum & legatorū, cum verò moritur; vtraque amittit. Dicet fortasse Aduersarius, posse dici reseruatos ter mille imperiales. quia hoc legatum est relictum ~~ab illo~~ Societati, cuius Titius membrum est: & fortè Societatem teneri illam summam trium millium imperialium vel permittere dispositioni ipsius Titij, vel restituere in casu, quo ille recedat à religione. Sed hæc omnia gratis dicuntur, & falsa sunt, & par omninò ratio est hæreditatis & legatorum testamento non inofficioso datorum. Adde quòd ratio, quâ adductus Aduersarius putauit, Titio esse reseruatos ter mille imperiales, *vt scilicet Nouitius ante professionem liberè recedere posset,*

non

non est necessaria in hominibus Societatis, tum quia, vt supra dictum est, non afficit illos decretũ Concilij Trid. de renuntiationibus Nouitiorum: tum quia Aduersarius etiam fatetur, Titium retinere *Dominium passiuum* semper vsque ad professionem, vel vota publica, hoc est, ius recuperandi omnia sua bona in casu recessus à Societate. Illud quoque difficilè videtur in hoc argumento Aduersarij, quòd dicat *per ingressum Societatis incommutabiliter Titium abdicasse reliqua omnia sua bona*, cum nihilominus in decimo & præcipuo suo Argumento, Dominium amitti per emissionem Votorũ adiunctâ illâ fictâ sua traditione asseueret.

Maior difficultas esset, si Titius in suo Testamento præter bona, quorum hæredem instituit 53
Caium, & ter mille Imperiales, quos legauit Societati, certam sibi summam reseruasset, de qua suo arbitratu disponeret.

Verùm, si hoc diceretur; non dubitarẽ asserere, eiusmodi Titij testamentum esse omninò nullum. probatur, quia sicut *hæreditas nihil est aliud, quàm successio in vniuersum ius, quod defunctus tempore mortis suæ habuit. l. hæreditas ff. de regulis Iur.* sic *hæres* solùm *est is, qui succedit in vniuersum ius defuncti, & in quem aditâ hæreditate, transeunt omnia iura & actiones actiuæ & passiuæ cum omnibus rebus hæreditarijs.* Iam si contigisset, vt Titius moreretur sub tali testamẽto, nulla facta dispositione summæ, quam sibi reseruauit; non habuisset hæredem. quia Caius ex vi huius Testamenti non successisset in vniuersum Ius Titij testatoris, adeoque in hoc testamento

non

non fuisset institutio hæredis, & consequenter nullum foret, vt nemo ignorat.

Deinde quæro ab Aduersario: An Titius in hoc casu *decessisset ex parte testatus, & ex parte intestatus?* quod illi tam absurdum videtur. omninò sic accidisset, quia quoad summam reseruatam *decessisset intestatus, testatus verò quoad reliqua sua bona.*

54 Ex hactenus dictis in refutatione primi nostri EPOPTÆ Argumenti apparet, Titium non solùm potuisse reuocare testamentum factum in sæculo post ingressum, & toto tempore Nouitiatus; sed etiam post Votorum Simplicium emissionem; cũ retinuerit Dominium, & *Testamenti factio sit vsus Causalis* Dominij.

Sed faciamus, verum esse, Titium post ingressum non potuisse reuocare testamentum antè factum; Aduersarius hoc suo argumento, vel non probat id, quod est in quæstione, vel nimium probat, & consequenter nihil probat. Antecedens quoad primam partem patet, quia *status controuersiæ est* (etiam per Aduersarium) *An Titius fuerit bonorum suorum destitutus dominio?* Argnmentum verò probat, solùm *non potuisse reuocari testamentũ*; quæ impotentia reuocandi, & iterum testandi non arguit priuationem Dominij, & multò minus transmissionem eiusdem in alium, vt patet in *paßis capitis diminutionem.* Quoad secundam partẽ probatur, quia si textus ille *Examinis cap.4.§.1.* vult, vt Aduersarius contendit, non posse reuocari testamentum statim post ingressum, & consequenter (vt idem existimat) amitti Dominium;

nimium

nimium probat; quia Dominium deperdi existimat solùm per emissionem Votorum adiuncta ficta traditione, ille autem probat, amitti etiam per primum ingressum in Societatem & Nouiciatum.

II. ARGVMENTVM
num.9.10.11.

TEstamenti, inquit, *factio est vsus causalis rerum, vt propriarum, iure Dominij competens. l. 32. ff. de hæred. instit.* vbi *Gloss & Doctores, Scholares Societatis per emissionem Substantialium Votorum amittunt vsum rerum, vt propriarum, Iure Dominij competentem, & habẽt Dominium tanquam non habentes. ergò post vota non habent factionem Testamenti.* 55

Maiorem non aliter probat, quàm textu allegato. Minorem probat primò ex Bullis GREGORII XIII. *Quanto fructuosiùs & Ascendente Domino*, vbi habentur hæc verba. *In illorum* (bonorum) *vsu religiosam seruant paupertatem, nec vllâ re tanquam propriâ, & sine Superioris facultate vti possunt.* Secundò probat testimonio *Molinæ de Iust. tom. 1. disp. 193. pag. 112.* Tertiò Authoritate *Ioannis Honorij ab Axell. lib. 3. sum. Decret. tit. 39. n. 42.* Quartò ratione. *Quia Canones de religiosis loquentes habent locum etiam in Scholaribus, post Vota simplicia, quibus constituuntur veri Religiosi. Canones autem auferunt testandi facultatem Religiosis. ergò etiam his Scholaribus.*

Quinto. *Quia per eosdem Canones, paupertas est necessaria ad statum perfectionis: & non sufficit illa, per quã*

actu

actu relinquimus omnia bona temporalia: sed oportet, vt moueatur, & cadat sub obligationem nunquam illa sibi quærendi. S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. Nauar. de reddit. Eccles. q. 1. monit. 1. monit. 7. num. 1.

Responsio ad ARGVMENTVM II.

56 SEcundum hoc argumentum laborat eodem vitio, quo primum; non probat, quod est in quæstione. Esto. non possint Scholares post Vota habere factionem Testamenti. nego, hinc sequi, eos destitutos esse Dominio, & multò minus illud in quemquam transmisisse. Quæro enim ab EPOPTA tanto Iurisconsulto, quando passi capitis diminutionem maximam, mediam, & aliqui etiam minimam, Iure prohibentur testari, dicetne, eorundem bona transisse in alterius Dominium? multò conformius Iuri diceret, ipsorum Testamenta esse rupta, & infirmata, sicut rumpitur testamentum illius, qui se vendidit in seruum, vel se alij arrogandum præbuit, Vt non ignorat Aduersarius; his persimilis est, qui se Votis religiosis obstringit, & Religioni mancipat, per quã actionem seruis & arrogatis comparatur.

57 Volui semel admonere Lectorem de hac forma argumentandi Aduersarij. ne sæpius repetere cogar. quoniam pleraque argumenta, quæ restãt, huc collineant, vt ostendatur, Titium post Vota non potuisse condere testamentum. quod licet concedatur; non tamen inde infertur, Titium (vt dixi) amisisse Dominium, nec in Caium transmisisse, quod est nostræ Controuersiæ caput.

Responsio

Responsio ad Maiorem.

MAior erat. *Testamenti factio est vsus causalis rerum vt propriarum Iure Dominij competens.* 58

Respondeo primò, hanc propositionem nullo modo probari *ex l. 32. de hæred. instit.* Cuius initium est. *illa institutio* in quâ ne verbum quidem est, quod huc trahi possit. Solùm enim ibi statuitur, *testamenta non posse ab alienâ voluntate dependere,* nec hæredis nominationem conferri in alienum arbitrium.

Secundò respondeo; falsum esse *testamenti factionem semper esse vsum causalem competentem ratione Dominij.* 59 Nam Monachus & si regulariter nec validè, nec licitè testari possit. *Auth. Ingressi. C. de Sacros. Eccl.* Canonizata *in c. quia ingredientibus* 19. *q.* 3. tamen in duobus casibus testari potest. Primus est, si Pater emittat professionem antequam diuidat inter filios hæreditatem. nam ea distributio illi permittitur, & ex *Bartolo* est vltima Voluntas, & vim habet testamenti. *Auth. Si quâ mulier C. de sacros. Eccles.* Vide *Couar. de testam. c. 2. n. 9. Suarez tom. 3. de Religion. lib. 8. c. 16. n. 2.* in hoc autem casu ille Pater, cum sit professus, non habet *vsum causalem competentem Iure Dominij.* ergò falsum est factionem testamenti necessariò postulare talem vsum. quod si Aduersarius dicat, in eo casu eiusmodi professo concedi à Iure *vsum causalem* ad effectum illius distributionis; multò rationabilius dicere possumus Nos, à Sede Apostolicâ potuisse

concedi Scholaribus Societatis post Vota tantũ simplicia Dominium & *vsum causalem* ob causas expressas in Constitutionibus & ab eâdem SANCTA SEDE approbatas.

60 Secundus casus est, si PAPA det licentiam Religioso professo testandi; quod posse facere est communis sententia, & praxis confirmat. Vide *Couar. l. c. num.* 10. *Nauar. com.* 2 *n.* 57. *de regul. Molin. de Iust. d.* 141. *tom.* 2. *Suar. l. c. n.* 9. *Sanchez. in decal. lib.* 7. *c.* 8. & ratio est, quia quòd professi non habeant factionem testamenti; non est de Iure naturali, nec diuino: sed humano. Ergò PAPA potest dispensare cum Professis, vt testentur. Neque obijciat Aduersarius, Professos carere omni Dominio, & Iure naturæ, Neminem testari posse de re non suâ: aut esse contra Ius diuinum, vt manente Voto paupertatis, concedatur actus testandi, qui est quidam Actus proprietarius.

61 Respondeo enim primum, negando Totum id, quod assumitur; deinde dico cum *Nauar. & Suarez locis citatis.* Satis esse testamentum fieri de licentiâ alterius, in quâ actione non exercetur Dominium, sed est sola quædam administratio, vt etiam probat *Socin. consil.* 13. *incip. præsens consultatio col.* 4. 5. *&c.* Et sicut Abbas concedit professo facultatem donandi aliquid inter Viuos; nec tamen dispensat in Voto paupertatis; ita Pontifex concedens licentiam testandi, non dispensat in solemni Voto paupertatis Vnde infertur, esse etiam falsum, quod Aduersarius assumit in Minori argumenti principalis, *ad factionem testamenti requiri vsum*

ri vsum causalem rerum vt propriarum sub illa reduplicatione: cùm ne requiratur quidem *vsus causalis rerum propriarum* specificatiuè, vt probatum est.

Responsio ad Minorem.

MInor erat. *Scholares Societatis per emissionem substantialium Votorum amittunt vsum rerum vt propriarum Iure Dominij competentem, & habent Dominium tanquam non habentes.* 62

Pro solutione Notandum est primò, Vsum latè, hoc loco accipi pro actu, quo disponitur de aliquâ re, quomodocunque id fiat, siue illam alienando, siue consumendo quoad substantiam, aut solùm quoad vsum: siue ineundo quouis contractu, aut quasicontractu, vel pacto circa eandem rem per *not. Bart. in l. donationes 22. §. species. n. 1. ff. de donat.* & hic vsus siue Actualis dispositio dupliciter contingit. Nam aliquando fit ab eo, qui in illâ re habet ius, hoc est, vel Dominium, & proprietatem, vel *vsum fructum*, vel *vsum* strictè sumptum, quatenus hæc nomina significant non aliquid facti, vel actum secundum: sed quiddam Iuris, & actum primum. & tunc qui eâ de re disponit, dicitur disponere ex iure suo, & illa dispositio actualis, quatenus proficiscitur ab habente plenum dominium, vocatur *vsus causalis* à Iuristis, à Theologis *vsus Iuris* latè illum sumendo. quatenus verò ab habente vtile tantùm dominium, id est *vsum fructum* vel *vsum*, appellatur cum à Theologis, tũ à Iuristis apud *Cap. de serui. Vrban. Prad. c. 5. n. 1. & 2.*

Vsus Iuris. quia scilicet sic disponens, disponit ratione Iuris, quod in ea re habet: Aliquando autē aliqua res alienatur, consumitur, venit in contractus, vno verbo, de ea disponitur, non ex aliquo Iure, quod quis in ea habeat: sed ex concessione alterius, cui in eandem rem Ius competat. Sic Religiosi professi, quando consumunt res sibi attributas, quando donant aliquid de licentia Superioris, & exercent vsum circa aliquam rem, nō dicuntur exercere *Vsum Causalem, neque Vsum Iuris*, sed *vsum causatum*, vel *facti*, vt Iurisperiti loquuntur, & Theologi. Et talis vsus non competit illis ratione vllius Iuris, quod habeant in ijs rebus, sed ex concessione alterius, qui habeat.

36 Secundo Notandum est, accidere posse, vt qui habet ius in aliqua re, & consequenter possit habere eiusdem rei *Vsum Causalem* vel *Iuris*, lege aliqua prohibeatur exercere tale Ius, & talem vsum circa illam habere. ita contingit Pupillis & Minoribus, qui licet habeant Dominium & Ius rerum suarum; non tamen habent liberum & expeditum vsum & dispositionem illarum: sed solū dependenter à Tutore & Curatore. quando tamen disponerent de ipsorum licentia, exercerent proprium Ius & haberēt *vsum Causalem* vel *Iuris*. Contrà verò, qui carentes omni Iure, de alicuius licentia disponerent de re aliena; dicerentur habere *vsum* tantum *Causatum* & *facti*.

Ita accidit in scholaribus Societatis. non amittunt *Vsum Causalem* vel *Iuris*. Sed solùm per Vota redduntur quasi ligati, nec illum possunt habere;

habere, nisi dependenter à Superiore, cuius accedente consensu habent *Vsum Causalem sibi competentem ratione Dominij*, quod retinent; & patet inde, quia, si quis bona horum Scholarium furaretur; faceret iniuriam ipsis Scholaribus Dominis, & non Superioribus. At verò, si quis furaretur libros, v.g: quibus vtitur aliquis professus; faceret iniuriam Religioni, penes quam est illorũ Dominium. Porrò habere hoc modo *Vsum Iuris* vel *Causalem* ligatum vel dependentem, non est illu mamisisse, sed solùm habere impeditum.

Ad Minorem ergò negatur, Scholares Societatis non habere *Vsum rerum propriarum Iure Dominij competentem & habere Dominium tanquam non habentes*. Concedo, illum ipsos solùm habere impeditum & ligatum, sicuti habent Pupilli & Minores; & sicut isti disponentes cum debita licentia, dicuntur habere *Vsum Causalem* vel *Iuris*; ita Scholares Societatis; quando accedit consensus Superiorum, exercent *Vsum Iuris* vel *Causalem ratione Dominij competentem*. & consequenter, si talis vsus est necessarius ad testandum, illo non carent. 64

Ad textus allatos ex Constitutionibus GREGORII XIII. respondeo in illis expressè Scholaribus Societatis concedi Dominium post Votadum autem dicunt, *Scholares in suorum bonorum vsu religiosam seruare paupertatem*; non licet inferre, carere ipsos vsu eorundem: imò potiùs illum habere: in eo tamen seruare paupertatem religiosam, quia more omnium Religiosorum non 65

vtuntur suis bonis sine Superiorum licentia.

66 Ad testimonium *Molinæ* respondeo, in eo nihil esse, quod Aduersario faueat. obseruant autem Vota Scholares non secus ac professi, quia sine consensu superiorum non possunt sine reatu Sacrilegij quicquam disponere de suis bonis. Et de *Molinæ* sententia, quoad retetionem Dominij, no potest esse dubium, cùm passim affirmet, retineri.

67 Ad locum *Honorij ab Axel* contra citatum, respondeo, in eo nihil esse nisi quod *singula membra Societatis sunt verè ac propriè Religiosi*, de Dominio verò Scholarium ibidem hæc habet. *Interim bonorum Ius atque Dominium retinent, vt maiorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, dimittendi cum minori offensione. Vsum verò eorum arbitrio Superiorũ.* GREGORIVS XIII. in Constit. *Ascendente* §. *licet. possunt itaque de ijs liberè præhabita licentia in pios vsus testari. l. in re. C. Mandati. l. qua ratione ff. de Acquiren. Domin.* hactenus *Honorius*. qui si stat ab Aduersario; do manus. Victorem agnosco. Ad id, quod dicit *Canones de Religiosis & votis loquentes habere locũ in Scholaribus Societatis.* respondeo esse verum, nisi per statuta particularia aliquid peculiare Scholaribus concedatur. Conceditur autem retentio Dominij post Vota, vt agnoscit ipsemet *Honorius* allegando *l. in re mandatâ C. Mandati.* vbi hæc aurea regula Iuristis traditur. *Suæ quisque rei moderator atque arbiter est.* Supponit ergò *Honorius*, Scholares esse adhuc dominos, atque ipsis manere suas res, id est proprias. Vellem sequentia d. *legis in re mãdata*

dasa, non omnia sed pleraq; negotia ex proprio animo facit, EPOPTA legisset, haud dubiè à pluribus sibi cauisset. Sed his omissis, potuisset quoque Aduersarius legere in eodem *Honorio num. 42. ibidem Institutum Societatis non posse nos metiri communibus aliorum ordinum rationibus, & sanctionibus.*

Ad rationem, concedo, *paupertatem esse necessa-* 66
riam ad statũ perfectionis; eamq; postulare, vt relinquãtur omnia bona temproalia, & inducat obligationem nũquam illa quærendi, vt benè docet *Nauarrus*. Sed dico, Scholares Societatis idem facere, nam iuxta Votum, quod emiserunt, relinquunt iussu Superiorum sua bona, nec sine eorum consensu absque peccato quicquam acquirere possunt. Et *S. Thomas* verè asserit, ad statum perfectionis requiri paupertatem ad hoc, vt auferat curam & sollicitudinem rerum temporalium, quæ magnoperè impediunt acquisitionem perfectionis. addo tamen, hanc ipsam curam, & sollicitudinem non solùm auferri per carentiam dominij; sed etiam per id, *quod non possit quis vllo modo disponere de rebus suis sine licentia Superiorum*. & patet. quia diuites seculares inde patiuntur magnas sollicitudines ob res temporales, quia sunt occupati in ijs conseruandis, augendis, administrandis &c. teste *Bernardo*, quorum omnium nihil potest facere Scholaris Societatis. cum ex voto nihil retinere possit, nisi ad nutum Superioris, nec sua bona vllatenus administrare: *sed omnis administratio illorum, vt primum Nouitiatum ingressi sunt*, nedum post Vota, *Prouincialis arbitrio committenda sit ei, qui maiori cum*

fide tractaturus videatur, vt decreuit Congregatio VII. Generalis *in Can.* 17, §. 1.

III. ARGVMENTVM
num. 12. 13. 14.

69 TErtio, inquit, *Scholares tenentur se à temporalium rerum dominio & cogitatione*, quantocyus *expedire. ergò.* antecedens probat ex Ordinatione Præpositi Generalis his verbis: *Constitutionum menti magis congruum est, & omnimodæ paupertatis perfectioni magis conuenit, vt Scholares à rerum temporalium Dominio, & cogitatione* quantocyus *expediantur. patet sequela, quia si res temporales per viam testamenti distribuantur, non expedimur ab earum Dominio & cogitatione* quantocyus, *sed post mortem, quo tempore testamentum confirmatur, nec ante testamentum Dominio priuat.*

RESPONSIO.

70 OPus hic esset aliquo *Tyresiâ*, qui vaticinaretur, quid EPOPTA ex illo antecedente inferre velit. Suspicor tamen, velle eum inde efficere, *non posse Scholares testamentum condere.* quia si solùm testamentum conderent; non se expedirent *quantocyus* à Dominio; sed solùm post mortem. Verùm meo iudicio rectius inferretur, non debere Scholares facere testamentum, vt ordinationem illam obseruarent. quia, si solùm testentur; non se expediunt. Nullo autem modo sequitur ex illo antecedente, Scholares amisisse testandi fa-

di facultatem. Cæterùm legitimus ſenſus illius Ordinationis eſt, vt etiam dixi, licet in Conſtitutionibus nullum præfigatur tempus, ſed relinquatur arbitrio Generalis, quando Scholares debeant ſe exuere Dominio bonorum ſuorum, quod retinent poſt vota; non eſt tamen exiſtimandum Dominij renunciationem eſſe diutiſſimè differendam. ideoque Præpoſitus Generalis qui in hoc ſuas vices committit Superioribus immediatis, determinauit certum tempus, hoc eſt, quadriennium ab ingreſſu, vltra quod ſine ipſius conſenſu illa renunciatio prorogari non poſſit. Quocirca Argumentum ex hac ordinatione ductum ad rem nullo modo pertinet.

Miratur ibidem Aduerſarius, me in Conſultatione ad hoc ipſius argumentum ne verbo quidē 71
reſpondiſſe, ſuſpicaturque à me fuiſſe declinatū, *quia fortè nihil, quod ſcopo meo deſeruiret in mentem incidebat*. fallitur vehementer. Subſidit hoc argumentum in illius Scripti (quod, vt dixi, integrum ad manus meas non peruenerat) pagellâ extremâ; ſicut ſolet in fundo vaſis non ſolùm quod vltimum, ſed etiam quod peſſimum ſubſidere: Iā, niſi fallor, EPOPTA intelligit, *aliquid mihi tunc etiā in mentem incidere potuiſſe, quod meo ſcopo deſeruiret*: illiq; gratias ago pro eâ reſponſione, quam mihi ſuggerit *num*. 14. habeat ſibi res ſuas.

IV. ARGVMENTVM.
num.15.& 16.

72 TEstamentum, inquit, *quod propter factum hæredis instituti reuocare non est integrum, nullius est momenti, nec vllum iuris operatur effectum Authore Baldo, &c. Atqui testamentum Titij post Vota substantialia est huiusmodi, quia illius reuocatio non potest fieri sine voluntate Superioris Societatis hæredis instituta. ergò testamentum factum à Titio ad fauorem Collegij Coloniensis, nullius est momenti.*

RESPONSIO.

73 SI vsquam, hîc enimuerò, enormiter exerrat EPOPTA, ostendendum illi erat, Titium per emissionem Votorum amisisse Dominium, confirmasse Testamentum ad Caij fauorem factum, nec illud potuisse reuocare; ille autem probat, testamentum factum ad fauorem Collegij Coloniensis esse nullum. Sit ita. quâ ratione hinc colligis, Dominium esse amissum, & prius testamentum confirmatum, quod erat probandum?

74 Adde, quòd falsum est, nullarum esse virium testamentum ad fauorem Collegij Coloniensis. quia, licet quælibet dispositio debeat à Titio post Vota fieri de consensu Superiorum; tamen Superiores tenentur illi dare hunc consensum ad disponendum irreuocabiliter post quadriennium ab ingressu, quo tempore exacto, Scholaris quicunque

cunque tenetur reuocare quodcunque testamẽtum, & de suis bonis absolutè & irreuocabiliter disponere, vt sæpè iam dictum est; itaque tantum abest, vt hæc reuocatio testamenti sit impossibilis (quia dependet à voluntate vnius, hoc est Superioris & Societatis hæredis institutæ) vt potiùs sit debita, & necessaria. Et posito casu, quo Scholaris post quadriennium sit dispositurus irrecuperabiliter de suis bonis, non tenetur disponere ad fauorem Societatis, sed pro suâ deuotione, vt habetur expressè 3. *part. c.* 1. §. 7. *& in exam. c.* 4. §. 5.

V. ARGVMENTVM.
num. 17. *&* 18.

HOc quinto Argumento Aduersarius partim ad ingenium, partim in viam redit. Ad ingenium, quatenus propositum illi est, ostendere. Titium post Vota non potuisse testari. quod licet concederetur; non sequeretur, vt sæpè dixi, Titium fuisse destitutum Dominio suorum bonorum, aut illud in Caium transtulisse. In viam autem redit, quatenus assumit pro ratione, Scholares Societatis non retinere Dominiũ particulare ad testamenti erectionem prorsus necessarium. Sed formemus argumentum, vt appareat, quam nullum sit. *Ad Testamenti erectionem est prorsus necessarium Dominium particulare. Scholares hoc Dominium post vota non retinent, ergò non possunt testari.* Maiorem supponit ex suo argumento secundo. Minorem probat primò ex *Horatio Mandosio,* 75

sio, Emmanuele Rodriquez, Romano Hayo, qui dicunt, Scholares Societatis non habere *Dominium, nec in particulari, nec in communi, ex Hieronymo Gabrielio*, qui affirmat eos habere solum *Dominium in communi*, ex *Alphonso Roderico*, qui ait paupertatem in eo consistere, *vt non solum corpore, & exterius cunctas mũdi res missas faciamus; sed voluntatem & affectũ penitus ab ijs auellamus. quod sanè*, inquit EPOPTA, *non facit, qui Dominium in particulari retinet sine iustissimis causis, & testamenta reuocatoria conficit, quibus nõ sine iniuria spem hæredibus probabiliter competentem euertit, & maximè Titius, qui sua bona in Caium irreuocabiliter transmittit*. Denique ex *Nauarro*, qui docet *peccare mortaliter, qui contra votum paupertatis etiam simplex, quærit vel retinet vllum Dominium, sicut contra Castitatem, qui quemuis vsum Venereum cupit, vel habet.*

RESPONSIO.

76 MAiorem esse falsam patet ex refutatione secundi argumenti principalis, *num.* 80. & *seqq.*

Minor etiam falsissima est, vt demonstraui in *Auctario, num.* 4. & 7. quia *Mandosius, Rodriquez, & Hayus* expressè loquuntur de Dominio bonorum Collegij, cuius Scholasticus membrum est. Nostra verò quæstio est de Dominio propriorum, & paternorum. Idem dico de *Hieronymo Gabrielio*, quod si de Dominio particulari actiuo sermo sit, vt esse debet, *Emm. Rodriq. qq. reg. t. 1. q. 1. a. 4.* expressè docet, Scholares retinere Dominium, neque

que hoc esse contra substantiam Religiosæ paupertatis. Sicut dicunt quidam, Monachum Episcopum de licentia PAPÆ Dominium posse retinere, & in omnium sententiâ coniugati post matrimonium consummatum possunt esse veri Religiosi retinendo mutuo dominium suorum corporum.

De sententiâ *Alphonsi Rodericij* circa paupertatē 77
Scholarium, nemini dubium esse potest. Si vllus est, qui in Societatis Instituto apprimè versatus sit, *Rodericius* est. Is ergò, cū nō loquatur de Scholarium paupertate, sed communi omnibus Religiosis; nihil inde deduci potest contra hanc paupertatem specialem, & cùm ipse fuerit per plures annos Nouitiorum Magister, sine dubio exegit à singulis promissionem de abdicando dominio, quando Superiores iniungerent. Non ignorabat autem, iniungi solere minimum post quatuor annos, & exacto biennio probationis admittebat ad vota simplicia, nemini iiunctâ abdicatione dominij. Quis autem suspicari audeat, hominem tantâ scientiâ rerum Societatis, & morum integritate præditum, fuisse passurum, plerosq; Nouitios emittere Vota, non factâ prius abdicatione Dominij? Sed his omissis.

Dico, verissimè affirmare *Rodericium* esse Re- 78
ligiosos fictos, & mendaciter pauperes, qui dimissis rebus temporalibus retinent affectum erga illas. Sed hoc tam conuenire potest Scholaribus Societatis retinentibus Dominium, quàm quibuslibet Professis illius incapacibus. Quod

autem

autem Scholares retineant *Dominium* bonorum suorum *particulare*; non potest illos impedire, quò minus possint retrahere omnem affectum à rebus temporalibus, & quin illas habeant *tanquam non habentes, & possideant tanquam non possidentes.*

79 Nec ista Dominij retentio in Scholaribus Societatis minuit quidquam de perfectione paupertatis, vt doctissimè ostendit *Suarez de Inst. Societ. l. 4. c. 6. à num. 12.* quia est sufficientissima ad omnem illam perfectionem, quæ in Statu religioso, quatenus est Schola perfectionis acquirendæ, desiderari potest. ratio autem est, quam indicauimus *num. 66.* quia aufert omnem curam & sollicitudinem rerum temporalium; ob quam solam auferendam Votum paupertatis emittitur. & verè pronunciauit *Theodoricus* ille Cancellarius Coloniensis: *Magis nocet Religioso vsus peculij sine proprietate, quàm proprietas sine vsu.*

80 Quod verò dicebat Aduersarius, *non sine iniuriâ fieri testamenta reuocatoria, quibus spes hæredibus probabiliter competens euertitur,* non sapit nec Theologum, nec Iurisconsultum: cum hæredes instituti in testamento ante ipsius cõfirmationẽ nullũ ius habeãt in bona Testatoris: nec verum est, Titium irreuocabiliter transtulisse Dominiũ suorum bonorum in Caium per prius Testamentum, aut per ingressum Societatis, aut per Votorum emissionem, vt toties probatum est; & porrò probabitur. *Nauarri* testimonium verissimum est. quia etiam Votum simplex paupertatis obligat vouentem ad non retinendum perpetuò Dominium;

hẽc

nec aliquid quærendum: non obligat tamen ad dimittendum, nisi iuxta intentionem vouentis; de quâ si non constet; dimittendum est quamprimum fieri potest. Si autem constet; dimittendum est tempore, quod intentione designatum est. De intentione autem Scholarium Societatis, quoad hoc, nullum est dubium. Obligant enim se ad Dominium abdicandum *quandocunque Superior iusserit, post primum probationis annum.* Quid habet ergò *Nauarrus,* quod nostræ sententiæ incommodet?

VI. ARGVMENTVM.

DAto, inquit, *sed non concesso, quòd Titius post emissa Vota retineat Dominium in particulari bonorum suorum: cum eorundem vsu sit perpetuò priuatus; hoc Dominium erit inutile, & instar Dominij Quiritarij, imaginarium, cum vsus iam abdicatus nunquam possit cum dominio consolidari, quod in Iure absurdum est.* 81

Hæc Aduersarius, & quia ego in mea Consultatione respondi, Titium non fuisse priuatum simpliciter vsu bonorum suorum, sed solùm vsu independente à voluntate Superiorum, ac proinde illis annuentibus posse vti rebus suis, & de iis disponere tanquam verum Dominum; *Miratur, tã absurdam responsionem mihi in mentem venire potuisse; quia propter vsum à voluntate alterius dependentem non potest rectè dici quisquam habere vsum cum Dominio, talis enim vsus sic dependens non est effectus Dominij priuati & particularis, de quo Controuersia nostra est, sed Dominij in communi, vti in alijs Religiosis videre est, qui*

licet

licet Dominium in particulari non habeant; nihilominus retinent vsum à voluntate Abbatis dependentem. Concludit itaque, si Scholares Societatis non habent vsum nisi dependentem à Superioribus; *non habere rerum Dominium particulare, sicut non habent reliqui Religiosi.*

Deinde, quia ego ad aliud ipsius argumenti respondens, dixeram, posse dari casum, in quo consolidari possit dominium; quod retinent Scholares, cum vsu, quem habent dependenter; hoc est, si dimittantur à Societate; dicit *hoc esse insubtile, qui recedere à Societate non est in potestate Scholarium, qui se perpetuò ex parte sua Religioni deuinxerunt. & licet possint dimitti à Superioribus; hoc tamen non obest; quia quod ob voluntatem tertij contingere potest, nō aspicitur. Et quando præsens rei Status non indicat contingentiam de futuro, non inspicitur tunc, quod euenire potest l. inter stipulantem §. Sacram. & ibi Bart. ff. de verb. oblig.* Et vt Poetam agnoscamus, affert illud *Claudiani:*

Omne futurum:
Despicitur, suadentq; magis præsentia fructum.

RESPONSIO.

62 IAm supra in Confutatione secundi Argumenti notaui, vocabulum *Vsus*, sæpè significare ipsam actionem disponendi, siue actualem dispositionem de rebus temporalibus. & quia actualis hæc dispositio aliquando competit disponenti ratione Iuris, quod in illis rebus habet, aliquando ve-

rò

rò solùm ex concessione alterius; Dixi, primum illum appellari *Vsum Causalem* vel *Iuris*, Secundũ *Causatum* & *Facti*. Addo nunc idem Vocabulum *Vsus* læpè accipi pro *Iure & Facultate vtendi* aliquâ re, deque eâ disponendi. & hic duplex est, *Causalis*, & *Formalis*. *Causalis* est ius vtendi aliquâ re propria, & dicitur à sua causa hoc est Dominio, à quo, vt à proprietate nõ est separatus; sed cũ sua causa, id est cũ proprietate, coniunctus & vnitus est; & potest dici pars Dominij iuxta *legem* 4. *ff. de vsu fructu*, & tunc nõ est species Seruitutis. quia res sua nemini seruit. *l. vti frui ff si Vsus fructus petatur*. *Formalis* verò *Vsus* dicitur, quando vsus, hoc est ius vtendi aliquâ re, est separatum à suâ causa, id est, à proprietate, & ab eâ distinctam habet formã, ita vt apud vnum sit proprietas, apud alium verò *Vsus* eiusdem rei, ex *l. rectè dicimus. ff. de verb. signif.* & hoc modo *Vsus* non est pars Dominij, sed species Seruitutis, vt habetur *in d. l. rectè dicimus*. sicut etiã *Vsus fructus* diuiditur *in Causalem*, & *Formalem*.

Aduersarius ergò, vt mox ostendetur, videtur 83
confundere has acceptiones vocabuli *Vsus*. Ego autem sic dico, Scholares Societatis respectu rerũ suarum non amittere *vllum vsum*, quatenus *vsus* significat *Ius & facultatem disponendi* de illis, quia retinent Dominium, & proprietatem. quatenus verò *vsus* significat *actionem disponendi*; dico eosdẽ Scholares non amittere *Vsum Causalem* vel *Iuris* competentem ratione Dominij simpliciter, sed cum additio: id est *vsum independentem*, quod est dicere, non posse illos disponere de suis bonis sine cõsensu Superiorum, illustratur hac similitudine;

habens potentiam ambulandi liberam & expeditam; si ligetur; non dicitur simpliciter amittere motum. sed cum addito, hoc est, *dum est ligatus*, vel *nisi soluatur*, Solutus autem ambulat ex vi suæ potentiæ motiuæ, quam simpliciter non amiserat. Alia verò ratio esset, si motiuam potentiam perdidisset. quia tunc si moueretur localiter; moueretur ex vi aliquâ extrinseca, non ex vi sibi intrinsecâ. Sic prorsus accidit Scholaribus Societatis. Ipsorum *Vsus Causalis* non amittitur, sed *ligatur* vinculo obedientiæ & paupertatis. Si Superior illos soluat, hoc est, det illis licentiam, disponunt ex vi Iuris & Dominij, quod habent in suis rebus: & actualis illa dispositio, est *Vsus Iuris & Causalis*, & non tantum *vsus causatus & facti*. alij autem Religiosi, cum nullum *vsum* habeant, prout *vsus* significat Ius, & facultatem disponendi, neque possint habere *vsum Iuris & Causalem*, quia sunt priuati omni Dominio & Iure; quando Superior illis dat licentiam disponendi de aliquâ re, & illâ vtendi: perinde est, ac si mouerentur ab extrinseco, sicut ille, qui perdidit potentiam motiuam, & illa dispositio & *Vsus* non competeret ipsis ex vi alicuius Iuris, cum sint incapaces, sed ex vi concessionis sibi ab altero factæ.

84 Ad argumentum ergò Aduersarij, quando dicit, *Scholares sunt priuati perpetuo suorum bonorum vsu, ergò Dominium quod retinent est inutile, & imaginarium*. Respondi in Consultatione, & nunc etiã respondeo. Sunt priuati simpliciter, hoc est, omni vsu tam dependenti quàm independenti, nego,

nego, sunt priuati cum addito, id est, *vsu independenti* à Voluntate Superiorum, sicut Minorennes, concedo. & intelligo de *Vsu Causali*, latè accepto, hoc est, de Actuali dispositione ratione Dominij. Nam hunc *Vsum* Vota Scholaribus nõ abstulerunt, sed solùm ligarunt. Et quando Superioris licentia accedit, exercent, vt dixi, *Vsum Causalem & Iuris*.

Ex quibus patet, hunc *Vsum*, quem Scholares habent dependenter à licentiâ Superiorum, non esse similem *Vsui causato & facti*, quem omnes Religiosi habent; Et nullum esse argumentum, quo dicebatur, *Vsum, quem habent Scholares, non esse effectum Dominij priuati & particularis*, de quo est controuersia, *sed Dominij in communi, vt in alijs Religiosis videre est*, & consequenter *responsionem*, quæ mihi in mentem venit, *non esse absurdam*, vt EPOPTA conuiriatur. 85

Sed vrgere pergit, *ipsum Vsum Iuris & Causalem, cum eum Scholares Societatis non possint habere nisi dependenter à Superiore, reddere Dominium, quod retinetur, inutile, & imaginarium, quia nunquam potest cum Dominio consolidari, quod in iure absurdum est.* 86

Respondeo, primò abuti Aduersarium Iuribus, *Vsus formalis* (qualis hic non est) morte Vsuarij dicitur consolidari cum proprietate §. . *Instit. de vsufru.* & not. DD. *in titul. quibus. mod. Vsusfru. vel vsus amittit*, non verò *vsus facti* dependens, vt patet in pupillis & minoribus. His enim quando maiores facti obtinent *Vsum facti* independentè, non dicitur *Vsus consolidari*, sed tantum libera rei 87

ſuæ adminiſtratio Scholaribus committitur, quãdo conſenſu Superiorum permittitur illis bonorum ſuorum diſpoſitio in cauſam piam; nec minus hoc abſurdum, quàm cũ minoribus 25. annis, qui, vt modò oſtendi, rerum ſuarum adminiſtrationem liberam & independentem non habent, ſi tamen viceſimi anni metas exceſſerint, venia ætatis fit, vt res ſuas adminiſtrare poſſint. *l. 2. C. de his, qui Ven. ætat. impetr.* licet hi hanc adminiſtrationem liberam in perpetuum, Scholares verò, quoad illum actum, impetrent; & falſum eſt, *non debere in hac Societate attendi quod caſu dimiſſionis, qui dimittitur, recipiat vſum liberum Dominij.* quia licet Scholares non poſſint ipſi diſcedere; tamen poteſt contingere, & contingit aliquando, vt dimittantur; in quo caſu retentio Dominii non eſt inutilis. quod vt magis explicetur,

88 Reſpondeo ſecundò. Vtilitatem huius Dominij, quod retinetur in Societate, non eſſe ſpectandam in noſtro propoſito ex eo capite, quod Aduerſarius tanquam purus Iuriſconſultus ſibi imaginatur; Sed ex fine, quem SANCTVS FVNDATOR in Conſtitutionibus ſibi propoſuit, & SEDES APOSTOLICA approbauit. Aduerſarius putat, nullum alium finem eſſe Dominij rerum temporalium, niſi commoditatem, quæ ex illis percipitur. quæ commoditas, ſi penitus & in perpetuum ablata fuerit; Dominium ſine dubio reſpectu huius finis eſt inutile, & imaginarium. (vt aliquid demus Aduerſario.) Societas neglexit hunc finem, ideoque in *Septimâ Congregatione*

Gene-

Generali can. 17. §. 5. decretum fuit, *vt tempore prorogationis*, quæ Scholaribus conceditur, ad abdicandum Dominium, *nihil ex annuis prouentibus rerum temporalium, quarum proprietatem retinent, possessoribus accrescat. Sed in pias causas annui hi fructus Prouinciali iudicio impendantur.* Quis, ergò, inquies, est finis propositus Societati in hac Dominij retentione? Respondet GREGORIVS XIII. varias esse causas in suâ Constitutione. *Ascendente Domino.* & illam nominatim, *vt maiorem Societas habeat libertatem illos* (qui retinent Dominium post vota) *si opus fuerit cum minori offensione dimittendi.* Si Aduersarius voluisset, aut potuisset, vt certè poterat ac debebat, distinguere inter prædictos *vsus* & *fines*; abstinuisset profectò à conuitijs.

VII. ARGVMENTVM
num. 21. & 22.

TItius, inquit, *per Vota confirmauit Testamentum in sæculo factum, quoad vsum bonorum suorum, illo enim priuatus est perpetuò. Ergò quoad vsum mortuus est ciuiliter, & decessit quoad illum testatus. Ex alterâ parte retinet dominiũ, & quoad dominiũ non est mortuus ciuiliter. ergò ratione dominij decessit intestatus. decedere autẽ ex parte testatum & intestatum abhorret à Iuris regulis.* 89

In Consultatione *num.* 21. respondi, Titium per vota non esse mortuum ciuiliter, *quoad vsum* bonorum suorum *simpliciter*; sed solùm *quoad vsum independentem* à voluntate Superiorum: adeoque retinere Dominium, & vsum, & quidquid est 90

Iuris bonorum suorum; sed impeditum, ne exeat in actum secundum. EPOPTA, pro sua singulari modestiâ, in his meis pauculis verbis clamat, *esse ingentem verborum abusum, nihil omninò sani in his esse, vt supra*, inquit, *ostensum est: nec esse verum, Titium, quoad vsum dependentem ciuiliter viuere*, & probat, *quia pari ratione reliqui quoque Monasticæ vitæ sectatores aliarum Religionum ob eundem vsum non morerentur, & consequenter post conditum ante solemnem professionem testamentum, adhuc discederent quoad dictum vsum dependentem, donec naturaliter è viuis discedant, intestati, quo quid*, inquit, *potest esse ieiunum magis?*

RESPONSIO.

91 ENimuerò magnus hîc non verborum tantũ, sed contumeliarum numerus, vocat me *verbosum: nil habentem sani: mea dicta falsa*: & *maximè ieiuna* appellat. non imitabor illum. conuincam tantum, magno in errore versari. Et licet nihil sit in hoc argumento, quod non apparere possit solutum in proxima confutatione mediocriter cõsideranti; placet tamen breuiter ad singula aliquid dicere.

Ac primum. Si quis est meis in verbis *abusus*, ille me docuit. Etenim cùm certum sit bona, quorum ratione potest quis dici discedere testatus, vel intestatus, esse immobilia, mobilia, se mouentia, iura, & actiones, prout actio significat ius agendi ciuiliter, & petendi, quod sibi ex contractu, vel quasi, item ex delicto, vel quasi, debetur

ex instit. §. actio. tit. de action. non autem prout significat actum humanum, vel exercitium alicuius humanæ dispositionis; cum, inquam, hæc ita sint; Aduersarius in suo argumento assumpsit, Titium per vota confirmasse Testamentum in sæculo factum, quoad vsum bonorum suorum, quo priuatus est perpetuo. & consequenter quoad vsum mortuum esse ciuiliter, & decessisse quoad illum testatum. An non ergò ipse abutitur vocabulis. cum enim *vsus* secundum subiectam materiam vniuocè loquendo sit accipiendus vel de *causali* vel *formali*, vel etiam impropriè pro *vtilitate ipsa*: ipse de *actuali dispositione* bonorum accipit. At hæc non est bonum immobile, non mobile, non se mouens, non Ius, non actio in significatione paulò antè explicata, quæ omnia & sola sunt materia vltimarum voluntatum. Quis autē vnquam audiuit aut legit, aliquem quoad actiones humanas ciuiles in casu simili mori ciuiliter, ac propterea decedere intestatum, vel testatum? Ego tamen, vt etiam hîc indulgerem libertati loquendi mei EPOPTÆ, respondi, Titium esse mortuum ciuiliter *quoad vsum* bonorum suorum, *non simpliciter*, sed solùm *quoad vsum independentem*. quod verissimum est, quia independenter à Voluntate Superiorum non potest de illis disponere. Sed si hic meus est *ingens abusus Verborum*, & propterea damnor; profectò non est absoluendus EPOPTA, cuius exemplo necessariò peccare debui.

Secundo dico, supposita doctrinâ traditâ su- 92

pra de duplici *Vsu Causali*, seu *Iuris*, & *Causato* seu *facti* (quos vsus Aduersarius non videtur distinguere) si pergamus abuti vocabulis, illos tantùm dicendos esse mortuos ciuiliter, *quoad vsum causalem*, qui illum penitus amiserunt: nec vllo modo habere possunt, neque sine licentia, neque cum licentia alterius. tales sunt alij Religiosi, qui cum sint incapaces dominij priuati, & particularis; implicat, vt possint habere *vsum causalem*, qui non competit nisi ratione dicti Dominij. At Scholares Societatis, cum retineant *dominium particulare*, cum licentiâ saltem Superiorum, possunt habere eundem *Causalem vsum*. ideoque absolutè & simpliciter, quoad ipsum, non sunt mortui ciuiliter, nec dici potest, eos quoad dominium, decessisse intestatos, & quoad hunc *Vsum*, testatos.

93 Quoad *Vsum* autem *Causatum*, & *facti*, nullus potest dici mori ciuiliter quia impossibile est hûc *Vsum* à quoquam amitti, quoniam nullus religiosus est, qui ex Iure, & concessione alterius, non possit disponere de rebus temporalibus. Sicut ergò nullus Religiosus respectu *vsus causati* potest dici ciuiliter mori; ita non potest dici ciuiliter viuere: cum contrariorum eadem sit disciplina.

94 Dico tertiò, si velimus (vt debemus) propriè loqui. *mori ciuiliter & decedere testatum vel intestatũ*, dici solùm respectu bonorum, vt dicebam, immobilium, semouentium, Iurium, & actionum: quæ sola bona sunt materia vltimarum voluntatum. Et hoc contingere potest dupliciter. Primò. Si quis decederet testatus. v.g. respectu quorundam

dam bonorum immobilium, & non omnium: vel respectu immobiliũ, & nõ mobiliũ. &c. Secundò si respectu bonorũ v.g. immobiliũ decederet intestatus quoad nudam proprietatem, & testatus quoad dominiũ directũ, vel vsumfructũ. hoc posito: dico, Scholares Societatis per vota simplicia nõ mori ex parte testatos, ex parte intestatos. quia etiam post vota retinent omnia sua bona immobilia, mobilia, &c. Et omne ius respectu bonorũ temporalium competens. Sicut contra, Religiosi professi, & in Societate Coadiutores formati, per emissionem Votorum decedunt ex omni parte testati. quia amittunt omnia bona, quæ habebãt, & omne ius, quod eorundem ratione ipsis competebat. Atque ex his infertur, illud absurdum, quod abhorret à Regulis Iuris, hoc est, *decedere ex parte testatum, & ex parte intestatum*, non habere locum in Scholaribus Societatis, qui, vt diximus, retinent omnia sua bona, & quidquid est Iuris respectu illorum, adeoque posse iam EPOPTAM intelligere, an *in meis verbis sit aliquid sani, & succi:* An verò sint penitus *insana, & ieiuna.*

VIII. ARGVMENTVM.

num. 23.

TRipliciter probare intendit, Titium post 95
vota substantialia non potuisse componere testamentum *argumento à contrario sensu.*

Primò, *quia testamentum condendi facultas conceditur ante Ingressum in Societatem, ergò post ingressum subtrahitur.*

Secundò. *Quia Nouitijs tantùm testandi facultas conceditur ex Mandosio.tract.de priu.ad instar. Glos.2. num.13. ergò, per subauditum intellectum, Scholaribus non conceditur.*

Tertiò. *Quia ex Tannero, nisi Candidati Societatis reuocent testamentum factum ante ingressum, aut non velint reuocare, non sunt admittendi. ergò postquam sunt admissi, non possunt testari. & probat hanc consequentiã, quia nulla alia potest esse ratio, cur non admittantur, nisi reuocauerint testamentum, quàm quia ingressi reuocare non possunt.*

RESPONSIO.

96 PRimum de his testimonijs ab Aduersario productis potest dici illud. *Marc.14. Et testimonia conuenientia non erant.* primum enim, quod ille ducit ex *exam.c.4.§.5.* præterquam quod est falsum; quia ibi nullo modo agitur de facultate testandi ante ingressum; non conuenit cum secundo testimonio, quia secundo asseritur Nouitios, adeoque iam ingressos posse testari, primo autem & tertio illud negatur.

97 Deinde, etiamsi concederem totum argumẽtum, & Titium post ingressum non posse testari; adhuc nihil probaret, quod pertineat ad scopum Controuersiæ nostræ, nam, dato & non concesso, Titium post ingressum non posse componere testamentum; adhuc negatur amisisse dominiũ bonorum suorum, illudque in Caium transtulisse: quod est in quæstione.

98 Præterea dico, primum & tertium argumentum

tum nimium probare. probant enim per Aduersarium, non solùm subtrahi facultatem testandi post Vota, sed etiam ante Vota, statim post ingressum; qui verò nimium probat, nihil probat. per *not. ad princip. Auth. vt determ. sit num. Cler.*

Postremò Noto, *Argumentum à contrario sensu* 99
sine dubio receptum esse in Statutis & Constitutionibus: & (ne omnia denegem Aduersario) cōcedo aliquo modo esse cōtraria, *non esse ingressum, & esse ingressum. non emisisse Vota, & emisisse Vota*: & admitto illud axioma. *Contrariorū Contraria est dispositio.* Sed postulo ab Aduersario, vt mihi vicissim concedat, esse verum aliud axioma, de quo *Euerhardus in locis loco à contrario num. 9. Contrariorū idem est dispositio*; & tunc demum esse firmum *argumentum à contrario sensu*; si non resultet prauus intellectus, aut correctio Iurium, vt passim Doctores. Deinde & hoc, *quod dispositum ad vnum finem, non debet eius contrarium operari. Auth. principales. C. de Iureiur.* & ibi *Gloss.*

His positis ad omnia allata argumenta respon- 100
deri potest, non procedere *argumentum à contrario sensu.* primum, quia si Scholares Societatis non possent testari, sequeretur, eos, qui habent dominium particulare bonorum suorum, non posse testari: quod est absurdum: & pugnat vt EPOPTA concedit, *num.* 34. cum lege naturali, diuina, positiuâ, ciuili, & canonica: & est contra rationem & textus Iuris communis, exorbitans, & si Aduersarius contendat, ingressos iam in Societatem esse specialiter prohibitos testari; debet

afferre

afferre textus expressos, & rationes conuincentes: quod nunquam faciet. erubescat igitur sine lege loquens contra §. *consideremus*, *Auth. de Trient. & semiss.*

101 Ad Authoritatem *Mandosij* in particulari iam dixi in *Auctario*, nec eum in loco citato *plurima verba profundere*, vt ait EPOPTA; nec habere illam particulam *Tantum*, & hoc testimonium produxisse contra seipsum, qui, contra quod probant alia duo testimonia, ostendit post ingressum in Societatem, habere facultatem testandi.

102 Ad Authoritatem *Tanneri*, quæ desumpta est ex 3. *tom. disp. 6. q. 3. dub. 6. num.* 205. respondeo negando sequelam, hoc est, *nullam fore rationem, cur Candidati non admitterentur in Societatem, non reuocato testamento antea facto, si post ingressum non carerẽt facultate testandi* Ratio enim, cur talia testamenta reuocari debeant, & si quis nollet reuocare; non admittatur, non est, quia post ingressum subtracta sit facultas testandi & reuocandi testamentum: sed quia statim post ingressum Candidati vel debent abdicare se omninò Dominio suorum bonorum, erogando illa in pauperes; vel promittere, se idem facturos *post primum ab ingressu annum quandocunque Superior iniunxerit.* Si quis ergò nollet reuocare testamentum iam factum; consequenter non vellet obedire huic Constitutioni: adeoque esset indignus, qui reciperetur, & vt suprà notaui ex *Molina*, si fortè iam esset receptus, dignus esset, vt expelleretur.

IX. Ar-

IX. ARGVMENTVM.
num. 24. ad 30.

EX ijs, quæ Aduersarius pluribus verbis hoc loco inuoluit, hoc breuiter argumentum ex ipsius sententiâ formo : *Nemo potest testamentum tanquam actum pendentem à voluntate vnius, condere dependenter à voluntate alterius l. illa Instit. ff. de hæred. Instit. l. ait Prætor 5. & l. metum. 9. §. Sed quod Prætor ff. quod met. caus. & l. captatorias. C. de mil. testa. Omnis Religiosus habet actum pendentem à voluntate Superioris, cum non habeat nec velle, nec nolle ex. c. Si Religiosus de elect. in 6. & Doctoribus passim ibi, & in c. in præsentia. de probat. ergò nullus Religiosus potest condere Testamentum. ergò neque Titius, nec vllus Scholaris Societatis, cùm sint verè ac propriè religiosi, & profiteantur veram abnegationem propriæ voluntatis, & iudicij. seq; in omnibus conformare debeant cum voluntate ac iudicio Superioris cui etiam liberam sui ipsorum, rerumq; suarum dispositionem relinquere teneantur, studeantq; obedientiam plurimum obseruare, & in ea excellere. vt habetur varijs Constitutionum locis, quos citat.* Confutat deinde quasdam meas responsiones, quas commodius infra proponemus, & soluemus. 103

RESPONSIO.

IN hoc argumento proponendo admiratus sum Aduersarij solertiam. cum enim ratio potissima legis prohibentis Religiosorum testa- 104

menta

menta sit, quia non habent vllius rei dominium, vt dicitur *in Auth. Ingressi. C. de sacros. Eccles.* canonizata *in c. quia ingredientibus*; ille prudentissimè abstinuit ab hac ratione. quia si assumpsisset, Scholares Societatis non habere Dominium; sciebat à me meritò negatum iri. hac ergò ratione dissimulatâ, aliam attulit, quæ cõmunis est non solũ dispositionibus testamentarijs Religiosorũ; sed quibuscunq; alijs dispositionibus, cõuentionibus & pactis eorundem. Ista enim omnia æqualiter prohibita sunt Religiosis: quippe qui nõ habeant *nec velle, nec nolle*, & quoad hoc æquiparantur seruis. Sed malè nihilominus sibi consuluit. *quia*, quẽadmodum Religiosi, licet nõ habeant *velle & nolle*; possunt cũ legitima licentiâ alias dispositiones facere licitè & validè; ita etiã cum eadẽ legitimâ licentia facere testamentarias. discrimen solũ est in hoc, quod alias dispositiones possunt facere cum licentia suorum Superiorum: testamentũ autem solùm cum licentia PAPÆ, vt est clarum in Iure. & ratio discriminis est optima, quam affert *Sanchez l. 7. in deca. c. 8. n. 5.* quia consuetudo, & conuictus humanus postulat, vt Religiosus aliquid consumat, donet, mutuet, expendat, &c. quę omnia, cum sit contra Votum Paupertatis, facere absque licentia; debuit hæc facultas impertiẽdi licentiam esse penes Superiores ordinarios: & omninò fuisset irrationabile, hoc reseruari PAPÆ At verò, cum per testamentum Testator declaret, quid fieri velit de bonis, de quibus testatur, post suam mortem naturalem, quod non po-

stula-

stulatur à quotidiano conuictu, & religiosa consuetudine, & sapit aliquo modo dominium & sollicitudinem etiam in tempus post mortem; iure ac merito nõ debuit hoc relinqui in potestate Superiorum ordinariorum: sed tanquam casus rarissimus reseruari PAPÆ Canonum Cõditori.

Ex his habemus primò, cum per Canones, & 105
Ius commune prohibeantur testari Religiosi professi carentes omni dominio; Scholares Societatis hac lege non afficiuntur: cum *dominio particulari* non careant.

Secundò habetur, sicut omnis Religiosus ab- 106
solutè potest cum legitima licentia omnes dispositiones facere, etiam testamentum, nec illi obstat, quod careat *velle & nolle*, & quòd legitima licentia testandi ob rationem dictam reseruetur PAPÆ; sic sequitur, Scholares Societatis, qui retinent dominium bonorum, nec afficiuntur, quoad hoc, prohibitione Iuris communis; æquè posse facere de licentia suorum Superiorum testamentum & alias dispositiones. quocirca *non est frigidissimum*, vt ait Aduersarius *num.* 26. meum argumentum, dum dixi, vocabulo *dispositionis*, loquendo de Scholaribus, cõprehendi etiã *testamẽti factionẽ*, quia Scholaribus ad dispositionem quãlibet faciendam sufficit licentia propriorum Superiorum: nec illos comprehendit ratio legis potissima, hoc est, vt dixi, carentia *dominij particularis*. Sed respondeamus ad singulas propositiones.

Ad maiorem iam respondi in *Auctario num.* 41. 017
illam legem, *illa Institutio*, adduci extra rem, & per

illam

illam non probari, testamenta non posse pendere ab alieno arbitrio, hoc est, non fieri de alterius licentia: sed non posse nominationē hæredis cōmitti arbitrio alterius; in *l. autem Ait Prætor. & in l. metum.* nihil aliud statuitur, nisi quòd, quę fiunt ex metu, rescindi oportet. Testamētum autē quod fit à Religioso de licentia Superioris, non fit ex metu, sed fit liberè & spontè, & nullo modo coactè, vt malè affirmat Aduersarius *num.* 28.

In l. denique captatorias. decernitur, Institutiones sub conditione de futuro esse nullas: *Vt si quis*, inquit *Gloss. dicat Instituo te si Titius voluerit, vel sit meus hæres, quem Titius voluerit: vel eris meus hæres, si me institueris*: quorum omnium, nihil est in casu *Titij*: Nam ipsemet designauit hæredem absolutè & liberè, & sub nulla conditione de futuro. Itaque falsa est maior, *testamentum non posse condi dependenter à voluntate*, hoc est, *à licentiâ alterius*, vt patet etiam de Testamentis factis à Professis de licentia PAPÆ.

108 Ad minorem quando dicuntur *Religiosi non habere velle, & nolle*, non est sensus, quod nullam possint facere dispositionem, nullam obligationem contrahere: sed quod si aliquid tentent absque Superioris Auctoritate, id ab eodem retractari possit. Vide *Nauarrum. com. 2. de regul. n. 42. Azor. tom. 1. lib. 12. c. 11. q. 5. Leßium lib. 2. de Inst. c. 2. dub. 1. n. 6.* quare accedente legitimo Superiorum consensu possunt Religiosi contrahere, & disponere quocunque modo, iuxta tamen præscriptum *Extrau. Ambitiosa, de reb. Eccl. non alienan.* & nisi lege ali-

aliqua peculiari prohibeantur, quoad dispositiones verò testamentarias lure communi, vt dixi, prohibentur Professi, & licentia reseruatur PAPÆ, quo lure communi non tenentur Scholares Societatis, qui emittunt solùm Vota simplicia, & habent Dominium bonorum ex Constitutionibus Apostolicis, & in illis cessat ratio legis, vt suptà significaui.

Neque habet vllam vim, quod contra afferturIIO de abnegatione perfecta propriæ voluntatis & iudicij &c. quia Scholares disponentes de rebus suis, non faciunt nisi conformiter ad voluntatem Superiorum.

Et quod adducitur ex *Mandosio num.* 27. dicen-III *te Scholares Societatis non habere vocem & consensum, & omnem suorum bonorum curam, & administrationē in Præpositum transtulisse, qui ijs inuitis & minimè vocatis tanquam nulli facto contradicere valentibus de istis bonis disponere potest.* perperam ab Aduersario intellectum est. *Mandosius* enim, vt patet ex textu, & in *Auctario probaui num.* 4. non agit de proprijs bonis, & paternis singulorum; sed de bonis Collegiorum, quorum cura & administratio est penes Præpositum Generalem, & ab ipso designatos. Ex quibus omnibus patet, etiam Minorem esse falsam. Licet enim Scholares non habeant *nolle & velle* nisi dependenter à voluntate Superiorum; tamen habitâ licentiâ, possunt quolibet iuridico modo contrahere & licitè & validè, vt omnes docent. Restant quædam impugnationes Aduersarij sparsæ hinc inde in argumento.

112 Prima est *num.* 26. vbi dicit, *sub Generali dispositionis vocabulo non comprehendi factionem testamenti. Ideoque frigidissimum esse quod ego dixi, Scholares per Constitutiones posse disponere de rebus suis, & consequenter etiam testari.*

113 Respondeo, falsum esse sub Generali dispositionis vocabulo non comprehendi factionem testamenti, cum verbum *disponere* in propria suâ significatione importet vltimam voluntatem. *Alex. in rubr. ff. solut. matrim. col.* 3. Socin. in Consil. 13. incip. *Præsens disputatio ad* 5. per l. *dispensatorem. ff. de sol. Niconit. in repet. rub. solut. matrim. à n.* 127. *vsque ad* 130. Verba autem debent intelligi propriè. *Menoch.* 4. *Præsumpt.* 178. *n.* 3. *per l. qui liberis.* §. *hæc verba. ff. de vulg. l. non aliter. ff de legat.* 3. Deinde Respondeo, verbum *disponere* secundùm subiectam Materiam esse accipiendum *per l. Si vno anno ff. locat. & conduct.* Vide *Euerhardum in loc. à subiecta materia n.* 1. Subiecta autē materia est de Scholaribus Societatis, qui retinent dominium, nec tenentur iure illo communi prohibente testari sine licentiâ PAPÆ. ergò verissimum est sub nomine *dispositionis* contineri etiam testamentum. In alijs verò Religiosis est diuersa ratio, vt suprà ostendimus, quia ipsi de licentiâ Superiorum nō possunt testari, licet possint aliter disponere.

114 Secunda est num. 28. *ex eo, quod Superioris arbitratu determinetur tempus dispositionis bonorum propriorum faciendæ à Scholaribus, non autem dispositio ipsa, extremæ inscitiæ est, dicere, ipsos Scholares disponere, cum propriam voluntatem & Iudicium abneganerint,*

&

& liberam sui, rerumque suarum dispositionem Rectori reliquerint.

Respondeo negando Assumptum. quia abne- 115
gatio voluntatis & iudicij, & libera sui & suarum rerum dispositio commissa Superiori, est propria omnium Religiosorum, qui tamen habitâ licentia eorundem licitè & validè disponunt, & liberè & spontè. *Socin. d. Consil* 13.

Tertia est *numero eodem. Non valet*, inquit, *argu-* 116
mentum ductum à Religiosis Commendatarijs in Hispaniâ & Lusitaniâ, qui habent testandi facultatem, quamuis sint sub obedientiâ, vt probetur Scholares Societatis testari posse. quia isti Commendatarij nec verè & propriè Religiosi sunt, nec obedientiam verè & integrè, sed solo nomine profitentur.

Respondeo hoc non esse meum argumẽtum, 117
sicut nec est præcedens. dico tamen, non esse nullius momenti, vt Aduersarius ait. quia qui illud adduxerunt, voluerunt solùm ostendere, alicuius paupertatis voto (addo ego & obedientiæ) non repugnare posse testari. quare Paupertati, quæ est propria Scholarium Societatis, potuit etiam non repugnare factio testamenti. Sicut non repugnat Dominium, quod retinetur ad tempus, & quod nullo modo derogat Essentiæ, & substantiæ paupertatis religiosæ.

Quarta est *num.* 29. *Non licet*, inquit, *inferre ex eo,* 118
quod Scholares non obstante Voto obedientiæ possunt alias dispositiones facere de suis bonis, retinere dominium in particulari: quia quod dispositiones alias ab arbitrio Su-

perioris facere possint dependenter, arguit solum Dominium in communi.

119 Respondeo, hoc esse verum in Professis, & alijs Religiosis, qui nullum dominium habent rerum propriarum. At Scholares Societatis cum retineant *dominium in particulari* suorum bonorum; si possunt alias dispositiones facere, quid prohibet, quo minus faciant etiam testamentariam? ergò quando hæc dixi in Consultatione, non poteram iure timere opponi mihi ab Aduersario quod allegabam. Ideoque neque timeo nunc reprehensionem *Ludouici Romani, & Alexandri, quò olim Antonium Magnum* exceperunt.

X. ARGVMENTVM.

à num. 61. vsque ad 69.

DEcimum hoc Argumentum est *Achilles* mei *Achillis*, cui sub initium EPOPSEOS *impar infeliciter congressus dicor*: quapropter diligenter proponendum est, & confutandum.

120 Primò supponit, Titium in emissione Votorum nullam fecisse protestationem reseruandi sibi dominium bonorum suorum; sed illa emisisse purè & simpliciter.

121 Secundò supponit, eundem Titium in Votis emittendis habuisse intentionem abdicandi se Dominio bonorum suorum, illudque transferendi in Caium hæredem institutum, quam intentionem colligit ex duobus locis Epistolæ à Titio scriptæ post Vota, in quorum altero ait, *se non curare vel obulum, neque cupere sua vel semel aspicere,*

re. Ex quibus verbis apparet, Titium agnouisse incapacitatem contractam reuocandi testamentum in sæculo factum: in altero *Vtinam*, inquit Titius, *id temporis intellexissem: non fuisset factum. quoniam aduerto, non potuisse bonâ conscientiâ fieri.* Ex quibus verbis apparet, ideò Titium pænitere facti testamenti: quia iam iudicabat, illud retractare non licere. Et confirmatur, quia in ijsdem literis vel alijs, Caium precariè rogat, vt aliquid amplius præter legatum relictum Societati largiatur. cur autem rogasset, si existimasset se capacem reuocandi testamentum? cur suo Iure vsus non fuisset?

Tertiò supponit, Dominium non nudis pactis & conuentionibus transferri, sed traditione 122
vel vera, vt cum res de manu in manum traditur, vel fictâ, vt cum res possidetur titulo inualido ad illud transferendum, superueniente titulo ad transferendum valido: & addit in casu proposito, Titium non transmisisse Dominiũ bonorum suorum in Caium ex vi testamenti, quod semper est retractabile ante obitum; sed ex vi votorum emissorum ab eodem Titio, non solùm sine protestatione reseruandi, quinimò cum intentione abdicandi, adiunctâ ficta traditione eorundem bonorum: quæ in eo cernitur, quòd cum Caius hæres institutus, quando Titius emisit Vota, illa possideret nomine Titij causa familiaritatis; emissis iam Votis potuit optimo Iure mutare sibi titulum possessionis, vt qui hactenus nomine Titij familiaritatis causa possidebat; postea suo nomine, & animo domini possidere incepe-

rit, non secus ac si Titius post Vota pro eorundẽ impleméto in dictum Caiũ vera traditione dominiũ irreuocabiliter transtulisset, illique dominiũ iam acquisitum cócludit sine mortali peccato & summa iniuria auferri non posse. Sed formemus breuiter argumentum ex Aduersarij sententia.

123 *Quotiescunque aliquis facto Testamento, & hærede instituto existente, in detentione bonorum testatoris, immittit in Societate post biennium Vota Simplicia sine protestatione reseruandi sibi, imò cum intentione positiua transferendi dominium in hæredem, efficit, vt institutus iure sibi mutet titulum possessionis, & incipiat possidere titulo domini, nec bona iam translata illi auferri possint sine peccato mortali. Hæc omnia contingunt in casu Titij respectu Caij, ergò dominium, quod erat Titij ante Vota, translatum est irrreuocabiliter in Caium, &c.*

RESPONSIO.

DIcam primum aliquid de suppositionibus, & postea ad argumentum in forma respondebo.

124 Ad primam suppositionem quæro ab Aduersario. Vtrum, si Titius fecisset protestationem de reseruando sibi dominio; impedita fuisset dominij translatio in Caium institutum? An verò non fuisset impedita, & nihilominus dominium transiuisset? Si respondeat non fuisse impediendam dominij translationem, etiam facta protestatione, & dominium fuisse transferendum; impertinens est dicere, Titium hanc protestationẽ non fecisse, quia, etiamsi fecisset, ex suppositione dominium nihilosecius transiuisset, quod protestatio

ſtatio actui & facto contraria nihil valeat. *Gaill. 1, obſ. 73. num. 7. & 2. obſ. 101. n. 2.* Si reſpondeat, facta proteſtatione retinendi dominium, fuiſſe impediendam eiuſdem tranlationem, primum hæc proteſtatio fuiſſet contraria facto, id eſt, actuali abdicationi dominij, quæ in ſententia Aduerſarij eſt effectus votorum ſubſtantialium religioſorum ex illorum emiſſione neceſſariò conſequens: & ideò talis proteſtatio nihil operata fuiſſet. Sicut, ſi quis volens ſuſcipere Subdiaconatum, proteſtaretur ſe non velle obligari voto ſolemni caſtitatis, nihil efficeret. quoniã ex inſtitutione Eccleſiæ ſuſceptioni illius ordinis, eſt annexum votũ ſolemne caſtitatis. Et confirmatur, quia proteſtatio hominis priuati nõ poteſt auferre ab emiſſione votorũ, ſi illa includunt vel ex Iure poſitiuo, vel diuino effectum priuationis dominij, vt putat Aduerſarius, hũc ipſum effectum. quia licet proteſtatio admittatur contra præſumptionem Iuris & de Iure; non tamen, quando ex ea fraus legi facilè fieri poteſt. *Menoch. 5. Præſump. 29. n. 14.*

Ad ſecundã ſuppoſitionẽ de intentione abdicãdi dominiũ. quæro pariter ab Aduerſario. vtrũ, ſi Titius illã non habuiſſet, fuiſſet nihilominus dominiũ tranſiturũ in Caiũ, an non? ſi reſpõdeat, fuiſſe nihilominus tranſiturum: impertinens eſt, illã habere, vel non habere. Si reſpondeat tranſiturũ non fuiſſe; recurrit idem argumentum, quod de proteſtatione. Nam poſito quòd Titius velit emittere vota, quibus ex ſententia Aduerſarij eſt annexa neceſſariò abdicatio dominij; non poteſt 125

priuata intentio vouentis impedire effectum necessariò consequentem ex Essentia Vororum. & hoc dictum velim in sententia illorum, qui putãt; si quis intendat vouere, & interius habeat intentionem non se obligandi, adhuc tamen obligari. ita *Sotus. lib. 7. de Iust. q. 1. a. 2.* ob rationem dictam, quia obligatio oritur ex Voto, sicut effectus necessarius à sua causa. Sed, si sequamur sententiam longè probabiliorem, *Glossæ in cap. literaturam. de Vot. & Vot. redempt. Angeli. v. votum 1. q. 7. Syluest. v. metus q. 8. & v. pactum. n. 4. Nauarri in Man. c. 12. n. 27.* dicentium, Intentionem non se obligandi, esse contra Substantiam Voti, & illud reddere nullum (sicut nulla esset donatio facta cũ Intentione non alienandi à se rem donatam) tunc dico, Votum paupertatis emissum à Titio cum intentione nõ abdicandi dominium, & non se obligandi ad hanc abdicationem, fore nullum.

Hæc autem absurda, quæ sequerentur in sententia Aduersarij ex vi dictarum *Protestationis & Intentionis*; in Scholaribus Societatis emittentibus Vota cum protestatione reseruandi dominij & intentione non se illo abdicandi, non sequerentur in nostra. quia illi solùm protestantur, velle reseruare dominium, & idem retinere intendũt donec Superior iniungat, quod est conforme Constitutionibus & naturæ Vororum, quæ ipsi emittunt: nec vllo modo pugnat cum paupertatis religiosæ Essentia.

126 Ad tertiam Suppositionem primùm verissimè dicitur, dominia non nudis pactis, & conuentio-

nibus,

nibus, sed traditione vera vel ficta transferri. Sed reliqua, quæ ibidem dicuntur, falsa sunt. nam vt per fictam traditionem dominium transeat ab vno in alium, qui est in possessione, quique ea detinet titulo inualido ad transferendum dominiũ: opus est, vt superueniat alius titulus validus ad dominium transferendum. nam si superueniat titulus inualidus ad hunc effectum, dominiũ non transfertur. v.g. locaui tibi domum meam. titulo locationis non fit tua, licet illam detineas, si postea illam tibi vendam, fit tua quoad proprietatem. quia venditio est titulus validus ad dominium transferendum. at si eandem domum tibi concedam in Emphyteusin, non fit tua quoad proprietatem. quia hic titulus Emphyteusis non est validus ad proprietatem transferendam. *Euerard. in loc. ab Emphyteusi ad censum. n. 2.*

Aduersarius supponit, emissionem Votorum simplicium in Societate esse titulum sufficientem & validum ad transferendum dominium, quod est maximè in quæstione, & ego probaui esse falsum: quare manifestissimè petit principium.

Deinde clarè sibi ipsi repugnat, quando dicit, 127
Titium ex vi Testamenti, quod est reuocabile vsque ad mortem, non transmisisse Dominium in Caium. quia in ipsius sententia per Votorum emissionem Titius mortuus est ciuiliter, & confirmauit testamentum antea conditum: confirmato autem testamento per mortem naturalem aut ciuilem, statim transit dominium hæreditatis in hæredem, nec est opus vlla aliâ traditione,

verâ vel fictâ. Sed sola aditione, siue acceptatione ipsius hæreditatis acquirit hæres dominium bonorum defuncti ante eorum apprehensionem ac possessionem *l. cum hæredes ff. de acquir. possess.* Imò *hæres suus* fit dominus, antequam hæreditatem adeat, eo quòd vna prorsus cum defuncto, persona censeatur. Quæ propterea dixerim, vt EPOPTA intelligat, extra rem tam multa se attulisse de ficta traditione, quasi illa necessaria sit hæredi ad comparandum dominium hæreditatis.

128 Ex his patet responsio ad Maiorem argumenti initiò propositi. neganda enim est absolutè. quia, dato etiam & non concesso, quod Scholaris aliquis emitteret Vota sine protestatione reseruanuandi dominium, & cum positiua intentione illo se abdicandi: licet alius esset in detentione bonorum ipsius, non posset hic iure mutare sibi titulum, & incipere possidere animo, & nomine domini. quia emissio Votorum simplicium in Societate facta à Scholaribus non est titulus validus, vt dixi, ad dominium transferendum: & Aduersarius hactenus contrarium non probauit.

129 Ad Minorem respondeo. primò, in casu Titij deesse validitatem tituli ad transferendum dominium. quia emissio Votorum ab ipso facta nó est efficacior, quàm facta ab alijs Scholaribus.

130 Secundò respondeo quoad protestationem, vt etiam dixi in Consultatione *num. 64. & 65.* non fuisse eâ opus Titio, cum certi Iuris sit per Vota Scholarium non amitti dominium: & si opus fuisset; Titio non defuisse, quia expresè vouit

uit *omnia, intelligendo iuxta Societatis Constitutiones*, quæ Scholaribus concedunt retentionem dominij etiam post Vota.

Tertiò respondeo, quoad intentionem abdi- 131
candi se dominio, primò falsum esse quod illam Titius habuerit: nec rectè probatur contrarium ex duobus illis locis Epistolæ, vt ostendi in eadē *Consultatione num. 66. & 69.* imò ex eadem Epistola clarè colligitur, Titium positiuè non habuisse talem intentionem, scribit enim *se toto tempore Nouitiatus, cum ex vna parte consideraret singularem Charitatem Superiorum erga se in victu, vestitu, &c. & ex alterâ summam annonæ caritatem ob illorum temporum difficultates*, scribit, inquam, *se in perpetuâ animi agritudine & molestiâ fuisse, & cordis anxietate, &, vt ipse loquitur, sæpè coram Deo calidas sparsisse lachrymas propter dispositionem à se factam, quam vellet retractare, & & rem totam alio modo instituere*: & in eadem animi dispositione fuit etiā statim post Vota, vt ex eadē epistolâ constat. quis ergò sibi persuadeat illum in actu emissionis Votorum habuisse intentionē abdicandi se absolutè dominio bonorum suorū, illudque in Caium transmittendi?

Adde, quòd Titius in ipso primo ingressu in 132
Nouitiatum de more promisit, *se post primum annum promptè renunciaturum omnibus suis bonis, & ea erogaturum in opera pia & sancta de consensu Superiorū*, & sciebat se teneri ad *non danda sua bona consanguineis, nisi de iudicio duorum vel trium virorum prudentium cum approbatione Superioris electorum*. Quis credat, iuuenem probum, & timoratæ con-

scientiæ

ſcientiæ ſine ſui Superioris conſenſu, omnibus incõſultis ſua bona voluiſſe dare, & re ipſa dediſſe Caio ſuo germano, niſi qui ſummâ cum iniuriâ velit illum præſumere malum & infidelem?

133 Huc accedit, quòd, licet Titius in emiſſione Votorum habuiſſet intentionem abdicandi ſe dominio ſuarum rerum; *attamen cum iſta intentio* (ſunt verba EPOPTÆ *num.62.in fine*) *inſufficiens ſit, & tanquam in mente retenta nihil operetur*; nemo ſecundum eam, & ex illius vi affirmare iure poteſt, ſecutam fuiſſe dominij abdicationem & illius tranſmiſſionem in Caium.

134 Dicere poteſt. *Titium detexiſſe poſtea per literas iſtam ſuam intentionem, & voluntatem.* Sed hoc nihil eſt, quia ad hoc, vt intentio & voluntas operetur; opus eſt, vt ſit ſimul cum ſignis externis: quæ tamen fuerũt (ſi tamen fuerunt) longo tempore poſteriora. Sic accidit in Sacramentis. Si enim intentio baptizandi infantem præcedat aut ſubſequatur lõgo tempore ablutionem, & prolationẽ formæ, non fit Sacramentum, quia non coniunguntur moraliter intentio interna, & iſta ſigna externa.

135 Imò, dato etiam per impoſſibile, quod Titius, quando ſcripſit illam Epiſtolam, habuiſſet actualem intentionem abdicandi dominium; ex ſententiâ *Molinæ & Layman* ſupra relatâ in *argumento primo*; fuiſſet nulla talis diſpoſitio, vtpote facta non iuxta Conſtitutiones ſine conſenſu Superiorum, & in Conſanguineum non adhibito prudentium iudicio, cum voluntas non ſolemnis nõ

ſit

sit voluntas. *Menoch.* 1. *Præsumpt.q.* 80.*n.*30. & paria sint aliquid non facere, vel non debito modo *l.*1. §.*penult.ff. quorum legat.*

Postremò dico, si talis intentio reseruandi sibi 136
dominium fuisset necessaria ad non transferendum dominium in hæredem institutum, non defuisse Titio. quia, vt dixi, vouit *omnia intelligendo iuxta Constitutiones*, quæ excludunt intentionem abdicandi se per emissionem Votorum statim dominio, & postulant solùm intentionem abdicandi se illo, *quando Superior iniunxerit.*

Quæ verò adduntur de Titij æstimatione pu- 137
tantis se perdidisse dominium suorum bonorum, nec posse vti suo iure ad ea repetenda: & *propterea vti verbis precarijs, vt aliquantò plus haberet pro Collegio Coloniensi, & se pænitere facti.* iam exposui hæc omnia in Consultatione. *num.* 68. & 69. Et dato & non concesso, ista omnia esse vera, vt dixi eo *n.* 68. priuatus iste error Titij nihil operaretur, vt patet: cum in damnis amittendæ rei suæ, Iuris error non noceat. *l. error. ff. de Iur. & fact. Ignor.* Titius autem certabat de damno rei suæ amittendæ: Caius verò de lucrando. Atque hæc sufficiant circa Confutationem huius vltimi argumenti, ex quibus facilè soluuntur, quæ Aduersarius replicat. *num.* 64. 65. 66. 67. & 68. partim enim falsa sunt, partim nullo fundamento nixa, vt constare poterit cupienti aliquid boni otij perdere in his nugis.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Qua omnes Aduersarij Confutationes refelluntur.

HActenus prospero Marte Hostis aggredientis impetum fortiter fregimus: & apparuit, quàm imbellis fuerit manipulus ille decem Argumentorum, quem EPOPTA contra retentionem dominij post vota Scholarium Societatis emisit in aciem. Videndum nunc est, an pari ille successu sustinuerit impressionem à nobis factam per duplo pauciores rationes (tanquam per generosos & inuictos milites) quas è statutis Societatis, Constitutionibus Apostolicis, Obseruantia subsecuta, Ratione & Refutatione omnium Obiectionum in campum eduximus.

I. *Confutatio Argumenti ducti à Iure Societatis à num.30.vsque ad 44.reijcitur.*

138 ARgumentum, quo ego in Consultatione *à num.10.vsque ad* 24.ostendi, post Vota simplicia emitti solita post biennium probationis, ex Constitutionibus retineri *dominium particulare actiuum* bonorum propriorum ac paternorum, petebatur ex *part.6.c.2.§.11.lit.H.ex 4.part.c.4.lit. E.ex 3.part.c.1.§.7 .adiuncta lit.F.ex exam.gener.c.4. §.2.& 5.*ac denique ex varijs Decretis & Canonibus septem Congregationum generalium ad hanc vsque diem celebratarum. Aduersarius, vt hoc Argumentum confutet, primum stabilire intendit

tendit aliquot Assertiones: deinde ex illis, tanquam fundamentis, euertere conatur omnes meas rationes: Postremò deducit quædam Corollaria. hæc omnia sigillatim proponam & refutabo.

Aduersarij Assertiones.

PRima Assertio. *Textus Constitutionum, quibus* 139
in Consultatione probatur, retentio dominij post vota, sunt obscuri & ambigui, teste Mandosio de priuil. ad instar. Gloss. 11. §. 24, ergò ex illis malè probatur dominij retentio.

Resp. Antecedens huius Assertionis falsissi- 140
mum est. æquus iudicet Lector, an hi textus sint obscuri & ambigui. *part. 6. l. c.* ita dixerat S. FVNDATOR. *vt nihil proprium domi teneri; ita nec foris apud alios potest:* Ad hæc ergò verba *lit. H.* subiungit. *intelligendum est hoc absolutè de Professis. cæterùm in Scholasticis hoc intelligi debet de rebus ijs, quæ in præsentia subsint eorum dispositioni. nihil enim horum habere debent; nisi conscio & approbante Superiore; neque sermo est de bonis, quæ fortè procul inde illi habent, de domibus scilicet vel rebus alijs: Sed, quod ad hæc attinet, parati etiã debebunt, vt illis se abdicent, quandocunque Superiori videretur.* & part. 4. *hæc consuetudo facit, vt quamuis paupertatis Votum sit emissum; bona tamen temporalia haberi possint ad certum vsque tempus, quod Superiori intra probationis spatium videbitur.* & 3. part. *quamquam necesse non sit bonorum suorum tempore probationis possessione se abdicare, nisi Superior post elapsum primum annum iuberet.* & in exam gener. *quod si statim*

propter

statim propter aliquas honestas causas bona non relinquat; promittat se promptè relicturum omnia post vnum ab ingressu absolutum annum, quandocunque per Superiorem ei fuerit iniunctum in reliquo tempore probationis, quibus textibus quid potest esse clarius & dilucidius?

Mandosij verba hæc sunt. *Si præsupponamus ipsos* (Scholares) *ex priuilegijs Apostolicis in communi habere bona immobilia & reditus annuos, & in particulari nihil possidere (quod qui eorum Constitutiones & confirmationes Apostolicas viderit attentare posset) licet id mihi tutum non videatur*; in his verbis non video, quomodo Aduersarius agnoscat *Mandosij* sententiam esse, *textus Constitutionum esse obscuros & ambiguos*, loquentes de retentione dominij bonorum propriorum, quæ Scholares habent in sæculo; cum *Mandosius* ibi loquatur de bonis Collegiorum, & illorum dominio, vt clarè ostendi in *Auctario num.* 4. & de his bonis asserit, *inspectis Cõstitutionibus & Confirmationibus Apostolicis, fortè dici posse, dominium non esse penes ipsos Scholares & Collegiales: sed penes Præpositum Generalem*. quomodo hinc infertur, *textus Constitutionum* loquentes de dominio bonorum propriorum ac paternorum *esse obscuros?*

141 II. Assertio est, *Candidatos Societatis ante vel statim post emissionem Votorum simplicium, dominium, quod in sæculo habebant, abijcere, & in alios distributione vel renuntiatione rerum temporalium transferre, decreto Constitutionum iuberi. & hac distributione factâ incipere deinceps habere dominium illud, quod habent perso-*

sonæ

sonæ particulares, quæ sunt membra alicuius Religionis, quæ incapax non est bonorum in communi.

De obligatione distribuendi & renuntiandi 142
res temporales, qualis & quanta sit, mox dicam. Quod verò Aduersarius ait, *factâ renuntiatione incipere eos, qui renuntiarunt habere dominium in communi*, apertissimè repugnat alijs locis EPOPSEOS, in quibus contendit *non retineri dominium in communi* ex sententiâ *Mandosij, Rodriquez & Haij*. ita *num.* 17. 38. 45. 75. & rationi, quam isti Authores afferunt, existimantes, omne ius bonorum Collegiorum & Domorum probationis, respectu quorum est *dominium in communi*, esse penes Præpositum Generalem. Præterea, vt sæpius demõstraui, falsum est, decreto Constitutionum, iuberi Scholares *statim* abijcere dominium rerum temporalium; cum ferè post quadriennium hæc abdicatio illis iniungatur iuxta ordinat. Præpos. Generalis. Et licet verum sit, eosdem Scholares factâ suorum bonorum renuntiatione, retinere solùm *dominium in communi*: tamen priusquàm renuntiationem faciant, præter *dominium in communi* respectu bonorum Collegij, cuius membra sunt, retinent *dominium particulare* propriorum bonorum *actiuum*; & factâ Renunciatione non retinẽt *dominium passiuum* vllo modo, cum omnia sua bona irrecuperabiliter abdicarint.

III. Assertio. *Quicunque Societatem ingredi volunt,* 143
antequam sub obedientiâ viuere incipiant, debent necessariò statim omnia bona temporalia distribuere & renuntiare, hoc est in continenti, & intra vnum diem post

vota substantialia emissa, antequam ad extraneos diuertantur actus; probat, hoc fieri debere *ab omnibus*: quia hoc importat particula *Quicunque*. Probat, debere fieri *necessariò*, per particulam *debent*, quæ particulę sunt in textu *exam.cap.*4.§.1. Probat, debere fieri *statim*, id est *in continenti*, & *intra vnum diem*, ex Ordinatione Præpositi Generalis, in qua dicitur *Nostros debere expediri à dominio & cogitatione rerum temporalium Quantocyus. Quæ dictio*, inquit, *indicat quid incontinenti fieri, id est, intra vnum diem.*

144 Respondeo, hunc textum Examinis non loqui de hominibus Societatis, qui mox emissuri sunt, vel iam vota emiserunt: sed de illis, qui sunt admissi ad Domum Probationis, antequam viuere incipiant sub Obedientia Societatis, & ad Societatem ipsam admittantur tanquam Nouitij, vt patet ex ipso textu.

145 Secundò respondeo, dato, quod agatur etiam de alijs, tam Nouitijs ante vota, quàm de Scholaribus post vota; in his verbis non contineri præceptum, quo omnes teneantur *statim* se abdicare dominio bonorum suorum: tum quia, vt dixi in *Auctario num.*22. Verbum *debet*, non semper importat necessitatem, sed interdum pro subiecta materia tantùm decentiam & honestatem: vide *Rebuff v.oportere* 37.*ff.de verbor.signific.* quin & ipse Aduersarius hunc §.non necessitatis, sed consilij esse docet, tum quia *parte* 3. *c.*1.§.7. vbi expressè sermo est de hac abdicatione, dicitur, *necesse non esse probationis tempore* (quæ probatio durat vsque ad emissionem Votorum solemnium vel publicorum)

eorum) *possessione bonorum suorum se abdicare, nisi id Superior post elapsum primum annum iuberet.* ergò multò minus *statim, in continenti, quantocyus, intra vnum diem.*

Tertiò respondeo, falsum esse illam dictionē 146
quantocyus semper significare *aliquid fieri in continenti, vel intra vnum diem.* tum quia, quando certū tempus non definitur; in potestate Superioris est illud determinare. *l. 1. §. vlt. ff. de Iur. deliber.* vbi DD. notant. tum quia sæpè in Iure, iuxta subiectā materiam, denotat fieri etiam *intra decem annos.* vt notat *Barb. in Apostill. ad Barth. in l. 3. §. Cum igitur ff. de vi & vi arm. in v. contrarium:* tum quia in illâ ipsa Ordinatione, quæ citatur, per particulam *quantocyus* intelligitur etiam *intra quatuor annos ab ingressu in Societatem,* vt retuli in Auctario *num.* 24.

Quartò respondeo, verum & germanum 147
sensum illius textus *Examinis* esse proponere Cādidatis Societatis solum Consilium CHRISTI, quod est, *debere eos in Societatem admitti, qui Dei seruitio se omninò mancipare, siue in hac, siue in aliâ Religione statuerint: & ideò debere vel statim, antequam recipiantur,* vel *si propter honestas causas statim fieri non expediat;* suo tempore *omnia sua bona temporalia dare pauperibus.* Sicut ergò admittendi in alias Religiones non tenentur *statim* sua bona dare pauperibus: imò primis decem mensibus Nouitiatus non possunt; ita non est credendum, SANCTVM FVNDATOREM Candidatis Societatis hoc imponere voluisse sub præcepto, in cuius instituto adeò substantiale est, vt dominium bonorum

propriorum retineatur ad plures annos, ob magis diuturnas probationes, quæ sunt in vsu Societatis & ob maiorem libertatem dimittendi etiam post vota, cum minore offensione, minimè idoneos.

148 IV. Assertio. *In Societate retentio dominij post vota conceditur iuxta Constitutiones & Confirmationes Apostolicas solùm ex dispensatione in voto paupertatis: & ideò cum dispensandum sit in iure diuino, causæ debent esse iustæ, imò iustissimæ, vt dicitur in Ordinatione citatâ Præpositi Generalis; imò vrgentissima necessitas ex doctrinâ Nauarri, & vrgens, grauis, & maxima causa, quæ vix potest accidere; ac proinde retentio dominij post vota non conceditur per Constitutiones omnibus, & quibuscunque: sed pro rerum & causarum diuersitate, licet in Societate fortè ad hanc dispensationem non requirantur æque vrgentes ac magnæ causæ, ac in alijs religiosis Ordinibus.*

149 Hæc Assertio falsissima est, quatenus habet ad retinendum dominium in Societate post vota esse opus dispensatione in voto. quia GREGORIVS XIII. definiuit, *Scholares Societatis post vota simplicia esse verè ac propriè Religiosos*, sicut sunt quilibet professi; & loquitur GREGORIVS de omnibus ita vouentibus & retinentibus dominium. Si autem cum illis dispensaretur in voto paupertatis, (quod ex sententia Aduersarij essentialiter includit priuationem dominij) isti Scholares nõ tenerentur Voto essentialis Paupertatis. Ergò ijdem ex sententia Aduersarij non essent verè ac propriè religiosi, quæ Propositio definitioni Sũmi

mi Pontificis directò aduersatur: deinde ex istâ dispensatione, (si illam obtinerent post vota nũcupata) duo absurda sequerentur in sententiâ Aduersarij. Primum, quòd post Vota emissa ante dispensationem obtentam, essent verè ac propriè religiosi, & votum paupertatis non excluderet dominium, cum tamen ipse hoc ab illo putet essentialiter excludi. Alterum absurdum esset, quòd Scholares per eam dispensationem obtentam, post vota de verè ac propriè Religiosis fierent nõ Religiosi, vtpote qui carerent voto paupertatis, quod est de intrinseca ratione proprij status religiosi: eo modo quo Doctores asserunt, accidere, quando PAPA dispensat cum Professis in voto solemni Paupertatis, qui dicunt tunc dispensatum de Monacho fieri non Monachum.

Secundò respondeo, ad retinendum dominiũ 150
post vota in Societate, non esse opus dispensatione in voto; quia hoc votum emittitur à vouente iuxta Constitutiones, quæ omnibus concedunt retentionem dominij, abdicandi, quandocunque Superior iusserit, quod suprà docuimus, posse stare cum essentia voti substantialis voti Paupertatis religiosæ. Ex quibus infertur, frustrà requiri ab Aduersario illas causas *graues, maximas, & vrgentissimas, & iustissimas*, ex Ordinatione Præpositi Generalis, quam idem corrumpit. In ea enim non habetur vocabulum *iustissimas*, sed *iustas*. Ratio illationis est, quia non dispensatur in voto, nec in Iure diuino, de quo loquuntur Authores ab Aduersario citati.

151 Tertiò respondeo, vt retineatur dominium post vota, non dispensari in Constitutionibus Societatis, nec, si dispensaretur, deesse in vllo casu *iustas causas*: &, si sine iustis causis dispensaretur; non propterea dispensatio foret nulla. quæ omnia probaui in *Auctario num.* 22.

152 Ex quibus omnibus colligitur, ruinosum prorsus esse fundamentum Aduersarij: & *retentionem dominij* in Societate post vota concedi *omnibus, & quibuscunque & propter causas, quæ nunquam desum.* Nam apertè Constitutionibus emittentes vota, solùm obligantur ad abdicationem dominij, quando Superior iniunxerit: Superior autem debet prudenter iudicare, quando expediat, attentâ ætate vouentis, legibus patriæ, constantiâ in vocatione, & alijs circumstantijs, quarum omnium consideratio relinquitur arbitrio prudenti Superiorum: & iuxta Ordinationem Præpositi Generalis approbatam à totâ Societate & in praxin deductam; non solet iniungi hæc abdicatio nisi post quatuor annos ab ingressu, & consequenter post duos ab emissione votorum.

RESPONSIONES ADVERSARII *Ad Textus Constitutionum Societatis, examinantur.*

153 EX Fundamento posito, quòd solùm illi Scholares post vota retinent dominium, qui habuerunt iustas causas, ob quas cum illis dispensaretur; putat se Aduersarius vno spiritu dissolasse omnes rationes, quas ego duxi ex citatis textibus

Con-

Constitutionum. ait enim, *illos esse veros in ijs tantũ, in quibus prædictæ vrgentes causæ ad dispensandum concurrunt*, vt inde etiam inferat, eiusmodi causas nõ habuisse Titium: & consequenter non retinere dominium particulare bonorum suorum.

Verum enim verò, cum iam demonstrauerim, hoc fundamentum Aduersarij ruinosum esse; quis non videt, quicquid eidem superexstructũ est, non posse consistere & esse in præcipiti per *l. 1. ff. de except. rei iudicat.* & ibi Dd c. *cum Paulus* 1. *q.* 1. Vieamus tamen quid dicat ad singulos textus.

Ad primum *ex part. 6.* respondet Aduersarius, 154
ex prænotatis, esse intelligendum non absolutè, sed in altero casu, quo iustissimæ causæ intercedunt dilationis in abdicando dominio, quæ debuisset fieri statim, vt in Examine dictum est. Sed hæc responsio nihil habet peculiare, quod confutatione egeat. nec est verum, illas particulas desumptas ex *Declaratione lit. H.* esse relatiuas ad locum Examinis, nisi in hoc sensu, quod scilicet Scholares debeant esse parati, vt suis bonis se abdicent quandocunque Superiori videretur.

Ad secundum textum *part. 3.* respondet Ad- 155
uersarius noster eodem modo; hoc est; *Scholares retinere dominium suppletiuè, scilicet intercedentibus iustissimis causis; alioquin*, inquit, *non euadimus contradictionem aliorum textuum, quibus iubentur homines Societatis statim quantocyus ante ingressum, omnia, quæ habent, dispensare.*

Verum ex dictis iam ipsemet intelligere potest, quid sit *statim, quantocyus* &c. cum excurrere pos-

ſit dilatio abdicationis dominij, regulariter loquendo, vſque ad quadriennium.

Et quia ego ponderando illum textum, quæſiui ab Aduerſario, quodnam dominium abdicaturi eſſent Scholares, quando Superior abdicationem illis iniungeret poſt emiſſionem Votorum? & dixeram, in Sententiâ Aduerſarij non poſſe eſſe *dominium particulare actiuum*: cum illud putet amitti per vota, neque *dominium particulare paßiuum*; quia hoc etiam in ſententia eiuſdem, retinetur ſemper vſque dum emittantur vota ſolemnia, vel publica, neque *dominium in communi* bonorum Collegij; nam hoc ſolum priuantur Scholares per vota ſolemnia, ſi fiant profeſſi; vel per publica, ſi fiant Coadiutores formati; quia, inquam; iſta quæſiui; ad meam quęſtionem nihil reſpondet. ſolùm dicit *Scholares non habere dominium & poſſeßionem in communi ex ſententiâ Rodriquez. & Haij & Hieronymi Gabrielij, qui exiſtimant, dominium in communi amitti ante profeßionem, aut vota publica.*

In qua reſponſione non video quid ad rem ſit. Nam ſi in ſententiâ Aduerſarij Scholares poſt vota non habent *dominium particulare actiuum*, nec *dominium in communi*: & *particulare paßiuum* non amittunt, niſi per profeſſionem aut vota publica, vrgeo. quando Scholares iubentur à Superiore poſt vota multis annis ante profeſſionem & vota publica, abdicare ſe dominio; quo dominio ſe abdicant? non *particulari* actiuo, nec *dominio in communi*. quia, vt ipſe ſentit, iſta per emiſſionem votorum poſt Nouitiatum amittuntur: non do-

minio

minio particulari paßiuo, quia istud semper retinent. ergò aliquâ quarta specie dominij. quæ qualis futura sit; diuinare non ausim.

Ad tertium textum ex *part.* 3. respondet eodẽ 156
modo, *promptus iurare esse intelligendum, si iustißimæ dispensationis causæ adsint*; additque *se nequicquam morari prolixißima mea verba, quibus illum textum pōdero: quasi putem casum Titij in illo contineri.*

Desino hîc vrgere Aduersarium, quia cum *promptus sit iurare*; si vel tantillum adigeretur; peierarret: etsi mea verba *prolixißima sunt*; ostendat, si potest, quid ex illis demi possit. Profectò si vacaret; non esset difficile breuissimis eius clausulis in medium adductis obijcere illud:

Sed tu dysticha longa facis

Porrò casus Titij ex eodem textu bellissimè decidi potest.

Ad quartum textum ex *exam.* ait, *illo, suam sententiam confirmari, & meam damnari. quia ibi dicitur,* 157
esse abdicãda bona temporalia statim, nisi iustæ dilationis causæ intercedant arbitrio Superioris: & miratur, *me non fecisse mentionem honestarum causarum, de quibus in illo textu.*

Sed quid erat opus meminisse istarum causarum? præsertim disputanti de casu Titij, qui in ingressu Societatis nec per ætatem, nec per patrias leges poterat se abdicare dominio rerum suarum? cum esset Minorennis. Textus autem expressè pro me est. Nam in *eo* §. 2. habetur promissio, quam Candidatus facit, *se relicturum omnia post vnum annum ab ingressu, quandocunque per Supe-*

riorem iniunctum ei fuerit in reliquo tempore probationis, quod excurrit vsque ad professionem & vota publica.

Etenim ex hoc infero: si Superior non iniungat, nisi post vota, (vt ferè non iniungit) ergò post Vota dominium retinetur.

258 Ad quintum textum *exam.* §. 5. respondet suũ illud solemne, *retentionem dominij sæcularium & spiritualium bonorum cum dispensatione ob iustissimas causas concedi.*

Et ego meum solemne respondeo, fundamentum hoc de dispensatione & iustissimis causis esse ruinosum. vt verò intelligat, quàm hospes sit in Instituto Societatis; sciat abdicationem aliquorum bonorum *spiritualium*, vt ipse loquitur, hoc est, Ecclesiasticorum, non solùm non præcipi in Societate, sed prohiberi. ita Congregatio Generalis septima *Can.* 17 §. 4. *Pensionibus tamen*, inquit, *Ecclesiasticis abdicare se in solidum nostros non expedit.*

259 In Consultatione *num.* 23. attuleram ex singulis Congregationibus generalibus varia Decreta, in quibus expressè supponitur retentio dominij particularis post vota; & statuuntur multa circa propriorum bonorum distributionem. Ad hoc Argumentum EPOPTA ne verbo quidem respondere dignatus est. An quia Codicem non habuit ad manus? *An quia nihil in mentem incidebat*, vt eius vtar verbis, *quod suo scopo deseruiret?* An quia putat, totam Societatem errare in hac re, vt significat in Confutatione *Argumenti ex Obseruantiâ*

subse-

subsecuta? ipse viderit, hoc mihi constat, ne si quidē Nestoris annos viuat; quicquam excogitaturū esse, quo Soli meridiano tenebras posit offundere.

Corollaria quædam Aduersarij improbantur.

PRimum est, *posse vnumquemque ante ingressum in* 160
Nouitiatum Societatis, res temporales in alios erogare, & per viam testamenti, & dispensatione alia quauis inter viuos part. 3. c. 1. lit. G. vtroque tamen modo irrecuperabiliter. Exam. c. 4. §. 1. & 2. supra Arg. 1.

Quoad dispositiones inter viuos, non repugno; quoad testamentum, nego: & patet ex responsione ad primum Aduersarij Argumentum. falsum enim est, testamentum factum ante ingressum esse irreuocabile.

Secundum est. *posse Nouitium intra biennium pro-* 161
bationis, eodem modo res suas dimittere. arg. const. part. 3. cap. 1. lit. T. & parte 5. c. 4. §. vlt. iunct. c. 4. §. 1. exam.

Si intelligat, Nouitium posse intra biennium probationis testari irreuocabiliter, falsum est; quia nullum testamentum est sua naturâ irreuocabile: nec Aduersarius hactenus probauit, testamenta Nouitiorum Iure Societatis irreuocabilia esse. quod verò pertinet ad alias dispositiones inter viuos; verum est, posse fieri à Nouitijs: sed cū duabus limitationibus.

Prima est, *si Superior consenserit*; secunda *si fiat in pauperes*, & in Consanguineos *in casu, quo iudicio duorum, vel trium electorum arbitrio Superioris iudicetur esse maioris perfectionis, & Deo gratius*, vt supra declaratum est.

Textus

Textus autem illi citati ex 2. & 5. *part*, solùm decernunt, ne durante biennio probationis; *cuiquã præcipiatur, aut vllus cõpellatur, vota emittere*, sed solùm *permittatur, si pro suâ deuotione velit.* & declaratur ijsdem locis, ea vota non esse, (qualia sunt vota, quæ emittuntur post biennium) religiosa licet emittenda sint iuxta eandem formulam. Si ergò Aduersarius existimat, vi horum votorum amitti dominium, vel confirmari testamentum antea factum, sicut putat fieri per vota emissa post biennium; vehementer errat. non solùm enim sunt vota simplicia, sed neque habent vim efficiendi vouentem Religiosum. quia à Societate & ab Ecclesia non acceptantur ad illos effectus, ad quos acceptantur vota post biennium.

162 Tertium est, *debere dimitti dominium ante, vel statim quantocyus in continenti post Votorum simplicium substantialium emissionem absoluto Nouitiatus biennio ex exam. c. 4. §. 1. & 2. & Ord. Præposit. Gener. distribuẽdo bona in pauperes. nam non est necessitatis, sed consilij clausula illa, de distribuendo in pauperes.*

Locus ille examinis non loquitur de Renuntiaturis suis bonis ante; vel statim immediatè post vota; sed de Candidatis antequàm recipiãtur in Societatem, vt patet ex textu. quomodo verò intelligenda sit particula *quantocyus* in Ordinatione Præpositi Generalis; iam diximus, eam seruari, si dominium abdicetur *etiam post quadriennium*, & distributionem in pauperes esse præceptam in Constitutionibus, satis supra pluribus locis probatum est.

Quæ-

Quartum est. *Posse Scholares ad tempus, etiam post* 163
emissa vota, retinere dominium bonorum temporalium non omnes & singulos, nec semper, sed aliquos, & tunc demum si honestæ, vt vult Exam. c. 4. §. 2. vel iustæ vt vult, vtraq; Constitutio GREGORII XIII. *vel iustissimæ, vt habetur in Ordin. Præpos. Gener. dilationis & retentionis causæ intercesserint: & cum hac limitatione, nisi ante ingressum aut vi voti tanquam causæ, vel tituli, possidente alio ex titulo inualido dominium abdicassent. quam limitationem*, fortè putat habere locum in Titio.

Falsitas totius huius Corollarij patet ex paulo ante dictis; solùm hîc addo, *causas honestas*, de quibus loquitur *Examen*, non requiri, vt dominium retineri possit post vota, sed post ingressum in Societatem: *Iustæ* verò *causæ*, quarum est mentio in Constitutionibus GREGORII XIII. non postulantur tanquam Conditiones ad retinendum dominium, ita vt sensus GREGORII sit, *Scholares post vota retinent dominium, si adsint iustæ causæ*. GREGORIVS enim enuntiatiuè asserit, Scholares Societatis post vota retinere dominium bonorum suorum, *tum alias iustas ob causas, tum vt Societas maiorem habeat libertatem dimittendi ineptos cum minore offensione*. In Ordinatione autem Præpositi Generalis vt supra monui, non habetur vox *Iustissimæ*. sed *iustæ*: & licet haberetur; nihil inde probari posset. quia Generalis concedit omnibus dilationem abdicationis, & retentionem dominij vsque ad quadriennium. Porrò illa limitatio non est ad rem nostram, quia Titius per testamentum factum ante ingressum non abdicauit à se

vllo

vllo modo sua bona; & emissio votorum simplicium, vt supra ostendi *n.* 125. *& seqq.* non est titulus sufficiens, *vt Caius existens in possessione ex alio titulo inualido, possit sibi mutare titulum, & incipere possidere animo & nomine domini.*

164 Quintum est. *dimisso post vota dominio actiuo in particulari, retinere Scholares dominium in communi, & passiuum in particulari. illud in communi, donec ad vota Coadiutorum vel Professorum admittantur, hoc passiuum donec è Societate dimittantur.*

Non possum mirari satis, quòd dicat, Scholares post vota retinere *dominium in communi*, & hoc ex dictis haberi. cùm tum alibi sæpè in EPOPSI, tum, vt supra notaui, argumento quinto principali, ex professo probet ex *Mandosio, Rodriquez & Haio & Gabrielio*, Scholares *non retinere dominium in communi.*

Miror etiam, quod dicit de *dominio passiuo in particulari.* quia nihil frequentius habetur tota EPOPSI, quàm Titium transmisisse dominium bonorum suorum in Caium irrecuperabiliter. &, si respondeat, hoc intelligi esse verum, dum manet in Societate: quæro ab illo, quomodo probet, Scholares Societatis post vota substantialia Religionis retinere *dominium passiuum*? cum in ipsius sententiâ per vota moriantur ciuiliter & confirment testamentum, & sint, vno verbo, tanquam Professi aliorum Ordinum? dicet fortasse, hoc esse peculiare in Societate, vt Scholares post vota retineant hoc *dominium passiuum* suorum bonorum, sed contra primò, quia in Aduersarij opi-

opinione de essentia voti paupertatis religiosæ, est reddere incapacem perpetuò omnis dominij, sicut reddit votum solemne. Deinde interrogo, ex quibus textibus Constitutionum Societatis aut ROMANORVM PONTIFICVM probet, Scholares post vota retinere *dominium passiuum* bonorum suorum? Respondebit, ex illis ipsis textibus, quibus ego probo retinere *dominium actiuum*. Sed primùm iam ostendi, in Consultatione à *num.* 10. *vsque ad* 27. illos textus nullo modo posse explicari de *dominio passiuo*.

Deinde per Aduersarium, Statuta Societatis & Constitutiones Pontificiæ, vbicunque loquuntur de retentione dominij, requirunt ad illud retinendum *causas honestas, iustas, iustissimas, maximas*, imò & *vrgentem necessitatem*, ac proindè *non quibuscunque & semper: sed paucissimis, & rarò dominij retentionem concedunt post vota*: quomodo ergò probauit, has causas intercessisse in casu Titij, si saltem vult illum retinere *dominium passiuum*? Dicet fortasse, ad huius dominij retentionem vel non requiri vllas causas, vel non adeò graues. Sed cum hæc responsio sit penitus imaginaria; refutatione non indiget.

II. *Confutatio Argumenti ex Iure Pontificio à* num. 44. vsque ad 51. *refellitur.*

EXplicauit hactenus EPOPTA *Cōstitutiones Societatis, ni fallor*, non parū *infœliciter*: &, quod ego in genere de quibuscunque Scholaribus probaui,

ui, eos ſemper habere iuſtas cauſas retinendi dominium poſt vota, *temere, textu & ratione* deſtitutus *fruſtra niſus* eſt oſtēdere, id intelligendum eſſe ſolùm *de nonnullis, ex cauſis iuſtiſſimis*, quales requiruntur ad diſpenſandum in obligatione Voti, quæ eſt de Iure diuino. Felicius fortaſſe confutabit Argumentum meum ſecundum petitum ex Iure Pontificio, hoc eſt, ex Confirmatione Conſtitutionum tot PONTIFICVM ROMANORVM, & ex declaratione ita perſpicuâ GREGORII XIII. Sic ergò confutationem aggreditur.

165 *Confirmationis ea eſt natura, vt confirmato tantum robur addat, & firmitatem, non verò extendat ad non expreſſa in confirmato. Bald. in l. aduerſus. n. 3. Cod. ſi aduerſ. rem iudic. Alex. Conſ. 122. n. 21. vol. 6. neque enim in cauſato plus eſſe debet, quàm in ipsâ causâ c. cum dilecta. de confirm. vtil. vel inutil. Sed vbi cauſa non eſt efficax, neque cauſatum efficax erit. Bart. in l. cum quis. decedens. ff. de legat. 3. Atqui Conſtitutiones non concedunt dominium particulare actiuum, niſi ex iuſtiſſimis cauſis, paucis & rarò; ergò Confirmationes Pontificia ſolùm illas confirmant in eodem ſenſu.*

166 Reſpondeo: & accipio quod aſſumitur ab Aduerſario in Maiore & datur in Concluſione: ſed nego minorē. vt enim demonſtratum eſt, Conſtitutiones loquuntur *vniuerſaliter & de quibuſcunque Scholaribus, & propter iuſtas cauſas generales*, & maximè propter maiorem libertatem dimittendi ineptos cum minori offenſione, concedunt *omnibus & ſemper dominij particularis actiui* poſt vota retentionem; ergò in eodem ſenſu ab APOSTOLICA

SEDE

SEDE confirmatæ sunt. Atque hæc est prima velitatio Aduersarij in hac secunda suâ Confutatione. Examinemus iam, quàm solidè refellat Argumenta mea ex *Bullis Gregorianis* petita.

Primò sic argumentabar: GREGORIVS dicit, 167
retineri dominium illorum bonorum, quæ Scholares debent pauperibus erogare iuxta promissionem factam initio Tyrocinij: promissio autem illa est de erogandis bonis proprijs relictis in sæculo: ergò agit de *dominio actiuo particulari* per *l. in re mandata C. Mandati.* Ergò non de *dominio in communi. per. d. l. in re mandata.*

Refellit hoc Argumentum hac instantiâ. *Religiosi dominio particulari priuati sæpenumerò erogant bona in pios vsus. ergò falsa est assumptio.* Deinde addit, *Scholares exui dominio in communi, quod habent antequam fiant Professi per Vota solemnia, vel Coadiutores per vota publica ex Rodriquez, Haio & Gabrielio. ergò.* consequentiam non infert.

Pudet me ad talia argumenta respondere. aio, 168
Scholares retinere dominium illorum bonorũ, ad quæ distribuenda in pauperes, se obligauerũt per promissionem factam initio Nouitiatus: non se obligarunt, nec poterant obligare ad distribuenda bona Collegiorum, quorum respectu est *dominium in communi*, nec ad alia bona, nullo modo sua: quid ergò mihi obijcis Religiosos dominio particulari priuatos sæpè erogare bona in pios vsus? deinde dato & non concesso, Scholares *dominio in communi* exui ante vota solemnia vel publica (licet hoc tu negaueris paulò ante) quid

hinc infers per illud *ergò?* esto sint priuati *dominio in communi* bonorum Collegiorum, adhuc tenentur ex suâ promissione distribuere in pios vsus bona relicta in sæculo, ergò illorum respectu retinent *dominium particulare actiuum.*

169 Secundum meum argumentum erat. quia GREGORIVS agit de illo dominio, quod retinetur ad tempus Generalis arbitrio describendum, & abdicari solet ferè post quatuor annos ab ingressu; non abdicatur autem *dominium in communi* nec *particulare passiuum.* ergò est *dominium particulare actiuum.*

170 Respondet *ex præallegatis Authoribus, hanc esse falsissimam confirmationem & falsissimam suppositionē.* hoc est, *non abdicari dominium in communi* post vota *quando Superior dominij abdicationem iniungit.* Atqui verissima. quia Scholares statim post vota simplicia, vt volunt citati Doctores ab Aduersario, licet fiant membra Collegij, nullum habent ius & *dominium in communi*: vel, iuxta veritatem, semper illud habent, vsque dum fiant Professi vel Coadiutores formati. ergò quando Generalis iussu se abdicant dominio, in sententia illorum Doctorum non se abdicant *dominio in communi*: quia illud nunquam habuerunt: neque eodem se abdicant in sententiâ verâ, quia illud retinent vsque ad professionem vel vota publica: & abdicatio fit multis annis ante hæc: ergò se abdicant *dominio actiuo particulari.*

171 Tertium meum Argumentum erat, in *Bullis Gregorianis* esse sermonem de dominio bonorū, quæ

quæ Scholares in casu dimissionis recuperant. Vnde inferebam, non posse esse *dominium particulare passiuum*. quia Aduersarius putat, in illis bonis esse iam ius acquisitum tertio.

Ad Argumentum nihil respondet; sed solùm quærit, *quid si aliquis dimitteretur à Societate, postquã sua bona renunciauit in pauperes? recuperabitne illa: an non dimittetur cum magnâ offensione? Si dominium actiuum particulare bonorum retinendum est à Scholaribus, vt Societas habeat maiorem libertatem illos dimittendi cum minori offensione; sequitur vt hoc dominium nunquam sit abijciendum ante professionem vel vota publica: quod & naturæ votorum, & Constitutionibus Societatis oppidò aduersatur.*

Respondeo falsò inferri, dominium illud nun 172
quam esse abijciendum. & rationem reddidi in *Auctario num.* 30. quia ad iniungendam dominij abdicationem, Societati sufficit moralis certitudo de constantiâ suorum in Vocatione, &, quòd aliquando contingat, quempiam dimitti post renuntiationem omnium suorum bonorum; hoc non attendi. ad ea enim, quæ frequenter accidũt, iura se adaptant, & non ad ea quæ rarò. *l. nam ad ea. ff. de legibus.* Per se autem Societas spectauit hunc finem in retentione Dominij, vt suos probare posset non vno vel altero anno, sed pluribus arbitrio Generalis, qui non faceret contra Constitutiones, etiamsi in aliquo casu non iniungeret abdicationem dominij alicui vsque ad professionem. Quod verò Aduersarius ait, *Dominiũ aduersari naturæ Votorum*; de solemnibus est verum,

quatenus ſunt ſolemnia; de ſimplicibus Scholarium, quæ ſunt eſſentialiter vota religioſa, eſt erroneum & contrarium definitioni GREGORII XIII.

173 Quartò vrgebam Aduerſarium aſſerentem, Scholares retinere *dominium paſſiuum*. quia contra eiuſdem aliam Aſſertionem, vota religioſa non forent æqualia in omnibus Religionibus, & poſſet vnum eſſe laxius alio.

Reſpondet, *ex parte vouentis, ex cuius intentione æſtimari debent vota eſſe æqualia. quia nec Scholares Societatis, quantum eſt ex ſe, nec alij Religioſi poſſunt recuperare bona relicta in ſæculo. eſſent ergò ſolùm inæqualia attentâ Superioris facultate, quia in Societate Generalis poteſt Scholares dimittere liberè & reponere in ſtatu, in quo iterum ſint capaces dominij: quod in alijs Religioſis non poteſt fieri.*

174 Sed vnde ille probat, hanc æqualitatem votorum eſſe ſpectandam ſolùm ex parte & intentione vouentis? ego contendo, ſpectandam eſſe abſolutè & ex naturâ ipſius Voti paupertatis admiſſi ab Eccleſiâ cum retentione capacitatis dominij, cum qua non admittit vota aliorum Religioſorum.

175 Poſtremò argumentabar ponderando illa verba *Conſtitutionis Gregorianæ*, quibus loquendo de emittentibus vota ſimplicia poſt biennium, dicit *dominium valeant retinere*; retinere enim eſt tenere id quod habebatur §. *retinenda Inſt. de interdict.* ſicut etiam ponderabam alia verba. *bonorum ſuorum.*

Reſpon-

Respondet, *frigido colore me vti, perpendendo hæc verba, quia frequentißimum est Legumlatoribus, verbis abuti: & dominium etiam in communi rectè dicitur dominium bonorum suorum.*

Non nego, Legumlatores aliquando abuti vo- 176
cabulis, qui tamen non est abusus attentâ subiectâ materiâ, ex cuius natura facilè intelligi potest, in quo sensu illud vocabulum accipiendum sit: quod declaro duobus exemplis ab Aduersario adductis. quando enim dicitur contractus ipso iure nullus rescindi. ex eo quod contractus ipso iure est nullus; necessariò sequitur non annullari, & rescindi à Iudice: sed declarari esse nullum. Item quando CHRISTVS alloquens DEIPARAM vocat illam *mulierem*, ex necessitate intelligimus non esse corruptam, sed Virginem; atqui in nostro casu, quæ necessitas cogit dicere GREGORIVM abusum fuisse vocabulo *retinendi*? nisi obstinatio Aduersarij, qui non potest dediscere haustum semel errorem, post vota biennij non retineri bona propria & paterna? maximè cum GREGORIVS in illa ipsa Constitutione sub grauissimis pœnis prohibuerit, ne quis ibi definita, audeat nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari. nam quod addit de *dominio* etiam *in communi* rectè dici dominium bonorum suorum; sapit ipsius ingenium desultorium, quo modò ait, modò negat, Scholares retinere *dominium in communi*, vide quæ dixi in Consultatione *num.* 26.

III. *Confutatio Argumenti ex Obseruantiâ subsecutâ à* num. 51. vsque ad 56. *multiplicis erroris arguitur.*

ARgumentum validissimum, quod ego in Consultatione *num.* 27. adduxi ab *Obseruantiâ subsecutâ*, ferè centenaria, & praxi recepta in tota Societate vbique terrarum dispersa, vt Scholares post vota retineant *dominium particulare actiuum*; Aduersarius profitetur, *se enodaturum vnâ responsione breuiter*. Audiamus quid præstiturus sit *tanto hic Promissor hiatu.*

177 Primò distinguit de Consuetudine. *Si dicta*, inquit, *Consuetudo, & obseruantia, est, vt iustis solùm de causis dominium particulare retineatur; est secundum Constitutiones, nec rectè dicitur earum Interpres, quæ hac in parte claræ & perspicuæ sunt: si verò est Obseruantia, vt reseruetur dominium particulare, & ad testamenti factionem expeditum indistinctè, hoc est, quibuscunque & semper; est contra dictas Constitutiones: id est, contra Essentialia & Substantialia vota Religionis: ideoq; dubia, & fortè non sine animæ periculo, vtpotè quæ laxat vota Deo facta, & reddit inutiles & frustratorios plurimos Constitutionum textus, qui requirunt iustas causas; quare praxis huiusmodi non est per Superiorem toleranda*: & addit, *esse abusum fortè tantùm excusandum ex eo capite, quia introductus sit ob errorem, & ideò esse cassandũ & nihili faciendum.*

Deinde vehementer *miratur, quod cum ego in meâ Consultatione* num. 29. *testatus sim mori esse hodierni,*

vt

vt post tres, vel quatuor annos dominium abdicetur; ipse hanc abdicationem distulerim vsque ad sextum, & rursus obemissas solemnitates ratificauerim, post alios annos quinque: & obiter monet, *in Exam. c. 4. §. 2. statui, vt huiusmodi abdicatio vltra anni spatium non prorogetur.*

Quod Aduersarius hoc loco vsurpans quoddã 178
testimonium *Iacobi Kelleri in Cauea turturis. c. 41.* ait, *quot penè scatet verbis, tot habere Argumenta contra praxin & Obseruantiam retinendi dominium in Societate,* hoc ego multo veriùs dicam de his Assertionibus EPOPTÆ paucis mutatis. *Pluribus scatent erroribus, quàm verbis.* vna excepta sententiâ, qua dicit *Consuetudinem retinendi dominium particulare esse secundùm Constitutiones.* quanquam ego erraui. Nã hoc ille affirmat solùm sub conditione, *si iustis de causis dominium retineatur.* imò non ego erraui, sed ille qui asserit, *esse secundum Constitutiones retinere dominium si adsint iustæ causæ;* quasi verò non semper adsint. nam verum est absolutè retineri dominium & quidem *iustis de causis,* vt affirmat GREGORIVS in suis Constitutionibus: quæ causæ nũquam desunt. Cum, vt dixi, sint vniuersales, & in hoc sensu verissimum est, Constitutiones esse claras & perspicuas; sed numeremus paucis errores indignos venia.

Primus est, dum dicit, *si reseruetur dominium in* 179
distinctè, id est semper & quibuscunque aut expeditum ad testamenti factionem, esse contra Constitutiones. at nos demonstrauimus esse Constitutionibus conforme.

180 Secundus est. dum ait *dominij retentionem esse contra essentialia & substantialia vota Religionis.* At hic error expressè damnatus est à GREGORIO XIII. in suis Bullis.

181 Tertius error est. Quòd putet, *iustis de causis retineri posse dominium post vota: & nihilominus in ipsius sententiâ dominium est* contra Essentiam & Substantiam voti Paupertatis.

182 Quartus error est. Quòd *censeat, Scholares retinere dominium bonorum ex dispensatione in voto Paupertatis.* quod primum est falsissimum, quia hoc votum in Societate ex intentione Vouentium, & Ecclesiæ, non excludit dominium; Deinde repugnat opinioni ipsius Aduersarij, qui non negat, Scholares retinentes dominium, esse veros Religiosos, quod implicat, si Essentia paupertatis Religiosæ excludit dominium; & omnia tria vota requiruntur ad substantiam status Religiosi.

183 Quintus error est. quòd *affirmet, si Scholares non abdicent quamprimum & in continenti dominium, vel sine iustis causis retineant; inutiles esse & frustratorios plurimos Constitutionum textus.* hoc patet ex supra dictis esse falsissimum.

184 Sextus error est. quòd *Scholares retinentes dominium, si cum illis non sit dispensatum ex causis iustis, peccent mortaliter.* Nam falsum est, illos egere dispensatione: &, licet egerent dispensatione; non esset dispensandum in Iure diuino, sed ad summum in Constitutionibus, (licet hoc sit falsum) quæ non obligant ad peccatum.

185 Septimus error est. quod *putet, si non statim se abdicent*

abdicent dominio, non impleri vota quantocyus, & Deo minus dari, quàm debetur. Nam vota Scholarium, vt supra probatum est, non obligant illos ad abdicandum dominium statim, sed quando Superior iubeat.

Octauus error est. dum *affirmat praxin & obser-* 186
uantiam in vniuersâ Societate receptam, non esse tolerandam, & esse abusum.

Nam licet esset contra Constitutiones, quod est falsum, iam post integrum sæculum esset consuetudo legitimè præscripta *c. cum dilectus* 8. *de consuet. & ibi DD.*

Nonus error est, dum ad confirmandam sen- 187
tentiam suam *de retentione dominij concedenda solùm rarò & nonnullis, & de abusu, & damnabili nec tolerandа consuetudine contrariâ,* adducit verba *Kelleri* loc. cit. quæ hic describam: vt illis ipsis tam multiplex error EPOPTÆ coarguatur. *Societas*, inquit Kellerus, *viget & floret, statq; in primâ regulâ fundatoris* IGNATII: *nihil de pristino rigore leniuit, nihil nouæ laxitatis admisit, Constitutionesq; accuratè seruantur; omnes in vsu sunt; contra nullam impunè delinquitur, Paupertas etiam reddita est astrictior.* Si EPOPTA tam multis nominibus, & de me, & de Societate vniuersa non esset ita meritus malè; cogerer illi diligentissimè gratias agere pro hoc tam luculento *Kelleri* testimonio, quo omnis abusus in materia paupertatis abesse à Societate comprobatur.

Decimus, qui sequitur error seorsim enume- 188
randus est; quia sanè decumanus est, & singulari cum animositate (ne quid grauius dicam) con-

iunctus. Homo priuatus, rerum nostrarum notitia leuissimè aspersus, obseruantiam vniuersæ Societatis, integro sæculo vbique terrarum receptã, praxin à septem Generalibus Congregationibus approbatam, quam sex Præpositi Generales, omnes Superiores, omnes Theologi totius Ordinis, denique vniuersa hæc Religio (in qua tot viri sunt literis præstantes, prudentia singulari & moribus laudabiles, imò nonnulli aris & publico cultu ab APOSTOLICA SEDE donati) confirmauit. & SACRA ROMANA ROTA toto orbe venerabilis, vocauit *inconcussum vsum Societatis, de cuius viribus dubitari non possit, & quæ non solùm non repugnet Constitutionibus Apostolicis: verùm etiam illis maximè conformis.* quin & Iuridica ALMÆ VNIVERSITATIS INGOLSTADIENSIS FACVLTAS, *suo in Responso tanquam quotidianam & notissimam* est contestata, audet dicere, *esse nihili faciendam, cassandam, non tolerandam,* & (ne omninò immitis videatur) *solùm excusandam ob errorem*, &, si Deo placet, *ob ignorantiam* Iuris Societatis, & Constitutionum Apostolicarum: quibus magnus ipse *Papinianus* nuper de cœlo delapsus, sua EPOPSI admirabili nouam attulit lucem, quam vniuersa Societas si non venerabunda, admirabunda saltem, suspicere, eiusque beneficio tam inueteratũ *errorem*, & *abusum* agnoscere, & agnitum corrigere debeat, &, sęculo iam fere à sui fundatione vertente, incipiat inducere in mores, vt omnes Nouitij ante, vel post vota, absoluto tyrocinio, *statim, quantocyus, in continenti, intra vnum diem, antequã*

ad ex-

ad externos diuertantur actus, omnia bona sua distribuant in pauperes: vel, si ipsis placeat, donent cõsanguineis (quando in eius erroneâ sententiâ, *hæc erogatio in pios vsus, non est necessitatis sed consilij*) nec patiatur, quemquam post vota retinere dominiũ; nisi fortè *in aliquo casu raro, cum nonnullis, ob causas honestas, iustas, iustissimas, graues, magnas, maximas, vrgentes, necessarias, quæ vix possunt accidere*, contra Ius diuinũ dispensetur, per potestatem, quæ nõ deest Societati, vt retinere possint suorum bonorũ *dominium actiuum particulare*. Mirum sit; si Aduersarius sibi non persuaserit, fore, vt Societas vniuersa in primo Conuentu generali sit Deo gratias actura, quod meus EPOPTA ipsam tam turpi *errore* liberauerit, deque tam intolerando *abusu* admonuerit: ac fortè tam insigni Benefactori egregium aliquod monumentum, grati animi ergò, decretura: tum verò abolitura, vel saltem interpretatura ad EPOPTÆ mentem omnes Constitutionum textus, & Decreta hactenus facta de bonorum propriorum retentione: & porrò seuerissimè iussura, vt in posterum, non aliter obseruentur, quàm quo modo EPOPTA diuinitus oblatâ sibi luce illustratus, pro sua charitate & zelo erga Societatem, præscripsit.

Quod autem admirabatur, me contra morem 189
hodiernum distulisse abdicationem bonorum vltra quadriennium; postulat, vt reddam illi mei facti rationem. quid si non placeat? quid si nolim? quo iure hoc à me postulat? &, si tamen velim respondere, dicam me nondum eo tempo-

re

re annum vigesimum explesse: dicam, id non permisisse patrias leges: dicam habuisse me illas *iustas & iustissimas causas*, ob quas debuerit mecum dispensari. &, si vrgeat, quæ fuerint; comminiscar non vnas, sed volo illi sincerè aperire id, quod res est. Mea abdicatio non fuit facta heri vel nudiustertius: sed ante annos vnum supra quadraginta: quo tempore Ordinatio Præpositi Generalis de non differendâ abdicatione vltra quadriennium, in mores Societatis nondum erat inducta. Pauci enim primis temporibus abdicabant se suis bonis, ante tempora proxima emissioni vororum solemnium vel publicorum. vt, vel hinc intelligat Aduersarius, primorum illorum temporum Superiores Societatis, quorum plerique SANCTO FVNDATORI conuixerant, eiusque sensa probè norant, non existimasse, renunciationes bonorũ esse faciendas ante vel post vota *statim, quantocyus, in continenti*, vt EPOPTA contendit.

190 Quod denique obiter monebat, *in Exam. c. 4. §. 2.* statui, vt dominij abdicatio vltra anni spatium non prorogetur; inter alios errores numerari debet. nam promissio, de quâ ibi est mentio, hoc est, de abdicando dominio, non fit de abdicando illo intra primum annum: imò intra primũ annum non obligat: sed de abdicando post vnum ab ingressu annum, non statim vt malè Aduersarius interpretatur, *sed quandocunque per Superiorem inuunctum fuerit in reliquo tempore probationis, quo completo* (inquit textus) *ante professionem professi & ante tria vota publica Coadiutores re ipsa relinquere ac pauperibus*

ribus dispensare debent. hic ergo, id est, incertum illud tempus, quo Superior iusserit, est terminus, vltra quem abdicatio dominij prorogari non potest: & non, vt EPOPTA somniat, vltimus dies anni ab ingressu in Nouitiatum.

IV. Confutatio Argumenti ex Iure Communi num. 56. vsque ad 61. *&* à num. 69 vsque ad 77. *improbatur.*

ARgumentum, quod ego in Consultatione dico ex Ratione petitum, ille dicit ex Iure communi. perinde est. hoc ergò argumentum, antequam confutare aggrediatur, dupliciter me carpit. 191

Primum est. *quod remotissima sint ab hac nostra disceptatione: quæ* ego non semel in Consultatione inculcaui: *posse Ecclesiam & summum Pontificem ex potestate sibi à Christo collatâ admittere vota simplicia Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, tanquam vota substantialia Religionis cum retentione dominij actiui particularis.* & addit, *sibi de potestate summi Pontificis disputare mentem non esse: neque hoc pati religionem.* Itaque videtur hoc Pontificiæ Authoritati non denegare.

Secundum, *quod nimis confidenter dixerim, esse probatum, testamentum in sæculo factum à Titio confirmatum non fuisse, nec dominium in Caium transmissum,* & subdit, *hactenus nullam rationem huius rei, nisi fortè à Dominio, sed insufficienter petitum à se in totâ meâ Consultatione inuentam esse.*

Ain-

192 Ain verò esse remotissima à nostra disceptatione, quæ afferuntur de potestate Ecclesiæ & SVMMI PONTIFICIS? Ego sic argumentabar: SVMMVS PONTIFEX potest admittere vota simplicia, tanquam vota substantialia Religionis, ita vt votum Paupertatis non excludat ad tempus dominium rerum temporalium; atqui hoc fecit summus Pontifex GREGORIVS XIII. in votis, quæ emittuntur in Societate post biennii probationis. ergò in Societate post vota simplicia retineri potest dominium ad tempus: & consequenter votum paupertatis Scholarium non confirmat testamentum antea factum; nec est titulus validus ad transmittendum dominium. hæc Conclusio, in quâ, etiam per Te, consistit status nostræ Controuersiæ, deducitur immediatè ex illis duabus præmissis. Quo modo ergò audes affirmare, *quæ afferuntur de potestate* SVMMI PONTIFICIS *esse remotissima à disceptatione nostra?*

Quod ad secundum pertinet, magnopere vereor, vt seriò affirmes, te in mea Consultatione nullam inuenisse rationem, quâ probetur, Titium per vota non confirmasse Testamentum; nec transmisisse dominium in Caium. nam mihi videor aliquot adduxisse: ipseque non parum laborasti (sed frustra,) in illis soluendis. Non hoc, inquis, dico. Inueni aliquam rationem, *sed insufficienter petitam à dominio.* A deone tibi videtur insufficiens ratio à Dominio petita? si enim ostendi ex Iure Societatis, ex Pontificijs Constitutionibus, ex Obseruantia subsecuta, ex Ratione, & Refutatione

tatione omnium tuorum Argumentorum, Scholares post vota retinere *dominiũ*, & omne *Ius* suorũ bonorum *actiuum*, *& particulare*; quà fronte, nisi fortè, quam perfricuisti, pronuncias, *esse insufficientem* hanc rationem *à dominij retentione petitam*, vt probetur, Titium non confirmasse testamentum, nec transmisisse dominium in Caium? si concedis, à me probatum fuisse, Titium post vota retinere dominium; quomodo affirmare audes *insufficienter* probatum esse, Titium non confirmasse testamentum, nec bonorum suorum dominiũ in Caium transmisisse? num existimas Titium retinere dominium, etiam post confirmationem testamenti, & postquam illud in Caium transtulit? Tu videlicet collimasti: & *sufficienter* probas contrarium, qui totus es in eo, vt probes. Titium non posse testari, & non posse reuocare testamẽtum factum in sæculo, quæ, vt iam discere potuisti, licet à me concederentur; tamen inde non sequeretur, eum amisisse dominium, aut in quemquam illud transmisisse, vt supra toties probatum est.

Hæc præfatus Aduersarius aggreditur, meas 193
argumentationes, quibus *probare satago de essentiâ & substantiâ voti non esse priuare illico vouentem dominio bonorum temporalium, quæ habebat.* Prima erat huiusmodi. votum est quædam lex priuata, quam vouens sibi ipse indicit. atqui nemo potest ita legem sibi indicere, quin eam reuocare possit ex *l. si quis ff de legat.* 3. ergò nemo potest sua priuata voluntate per votum à se auferre capacitatẽ Iuris & dominij.

Secun-

194 Secunda argumentatio erat. ſtatus Religionis perfectus, à Chriſto inſtitutus, & qui ſemper perſeuerauit in Eccleſia, non excludit capacitatem dominij, vt patet in antiquis Religioſis, qui dominium aliquarum rerum retinebant, condebant teſtamenta, in quorum teſtamentorum fauorem etiam leges Imperiales *l. generali C. de SS. Eccleſ. & l. ſi quis Presbyter. C. de Ep. & Cler.* aliqua ſtatuerunt, ergò poſſunt eſſe verè & propriè Religioſi, retinentes capacitatem dominij.

195 Tertia ratio erat. quia nõ eſt coæuum voto paupertatis Religioſæ, vt auferat capacitatẽ dominij: tum quia, vt dictũ eſt, antiqui Religioſi illa nõ caruerunt: tũ quia poteſt eſſe aliqua Religio cũ ſolis votis ſimplicibus, ac proinde carẽtibus illa ſolẽnitate, & effectu inducendi incapacitatẽ dominij.

196 Quarta ratio erat. quia, vt votum Paupertatis faciat vouentem dominij incapacem, non habet, niſi ex Inſtitutione Eccleſiæ à tempore GREGORII MAGNI, qui *in cap. quia ingredientibus.* approbauit. *Authen. Iuſtiniani. Ingreſſi. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Ergò, ſicut Eccleſia potuit voto Paupertatis adiungere hanc vim efficiendi vouentes incapaces dominij; ita potuit non adiungere: & de facto nõ adiunxit votis ſimplicibus Scholarum in Societate. Aduerſarius *num.* 57. 58. conatur reſpondere ad primam ex his, rationem: ad reliquas tres non reſpondet ex profeſſo ſed *num.* 69. & ſeqq. & *num.* 74. proponit duo Principia, ſiue duas Aſſertiones, ex quibus, niſi fallor, opinatur, illa argumenta refelli. Examinabimus prius Confutationem meæ

pri-

primæ Rationis, postea illius Assertiones, vt appareat, num ex illis confutentur reliqua tria argumenta, & in fine expendemus alia quædã ipsius argumenta hinc inde sparsa.

De Confutatione primæ Rationis.

NEgat illud assumptum, quo dicebam, ne- 197
minem posse ita sibi legem indicere, quin eam reuocare possit. primò *quia contractus ex conuentione legem habent. Ergò* si mea assumptio est vera; *sequitur impunè contemni, & non obseruari posse.*

Secundò. *Sequeretur arctiori nexu constringere obligationem comparatam hominibus, quàm Deo per votum. quoniam obligatio comparata hominibus non auferitur, nisi parte consentiente: per me autem vouens potest reuocare hanc legem, quam sibi indixit pro sua voluntate. ergò*, &c.

Tertiò *dato etiam, quod vouens possit voluntatem, per quam voto Paupertatis se obligauit, reuocare, hoc est verum solum in casu, quo alius non sit in detentione & possessione rerum temporalium vouentis per ipsum votum abdicatarum, sed earundem possessio sit apud vouentem; at si earum rerum possessio sit apud alium, vt re ipsa est in casu Titij apud Caium; illud est falsum.* Vt planè intelligatur, quam vim habeat mea ratio de capacitate & incapacitate dominij, & quod robur sit in Cõfutatione Aduersarij.

Primò notandum est, tria requiri, vt aliquis 198
per actum suum acquirat rei alicuius temporalis

dominium. Primum est, *capacitas remota*: quæ in hoc consistit, vt quis sit creatura rationalis, & habeat expeditum vsum rationis, nec vlla lege positiua redditus sit inhabilis ad dominium acquirendum; Alterum est, vt velit dominium acquirere. parum enim prodesset, vt quis posset, si non vellet. & hæc potest appellari *potentia seu capacitas proxima*. Tertium est, vt quis per aliquem actum voluntarium re ipsa dominium compareat, v.g. acceptando donationem, emendo aliquam mercem, & similes contractus celebrando. vid. *Menoch. 1. Præsumpt. q. 80. n. 11. & 4. Præsump. 198. n. 1.*

Ad amittendum autem dominium alicuius rei per propriam voluntatem, requiruntur etiam tria. Primum est, vt quis possit dominium amittere, ad quod pariter requiruntur vt habeat vsum rationis, & nulla lege positiua reddatur inhabilis ad alienandum. Secundò requiritur, vt velit alienare. Tertiò, vt re ipsa alienet. per *l. alienationis 28. & ibi Rebuff. ff. de verb signif.*

199 Secundò notandum est, incapacitatem ad retinendum vel acquirendum dominium esse duplicem: Vnam *remotam*, & *aliam proximam*. *Remotam* nemo potest contrahere sua propria voluntate: sed vel prouenit à natura, vel à lege positiua, v.g stultus & rationis expers à natura habet, vt non possit per actum suum acquirere dominium. & solemniter professus habet à lege, vt non possit illud retinere neque acquirere. *incapacitas* verò *proxima* tam retinendi, quam acquirēdi dominium, pendet à propria voluntate. Etenim

dum

dum aliquis manet in tali dispositione volũtatis, vt velit omninò abdicare se dominio rerum suarum, vel non velit amplius illas retinere; habet *proximam incapacitatem* ad illas retinendas, & nil aliud deest ad hoc, vt re ipsa illas non retineat, quàm actus aliquis sufficiens ad illarum dominium abdicandum, qualis esset v.g. donatio, vel etiam actus volendi illas habere pro derelictis. Similiter *incapacitas proxima* ad rei alicuius dominium acquirendum eo ipso esse intelligitur, dum quis manet in actuali dispositione voluntatis non volendi quicquam acquirere.

Ex dictis infertur, non posse esse materiam 200
voti *capacitatem* vel *incapacitatem remotam* retinendi & acquirendi dominium. quia, vt dixi, hæc pédet vel à naturâ & lege positiuâ. potentia autem & *capacitas proxima*, sicut & *incapacitas* acquirendi & retinendi dominium, potest esse materia voti. quia, vt dictum est, hæc consistit in libero actu nostræ voluntatis: & ideo votum Paupertatis potest obligare vouentem ad non volendum retinere, nec acquirere dominium: &, si vouens absolutè hoc intendit; peccat contra votum, volendo retinere, vel acquirere: & consequenter etiam retinendo & acquirendo; non tamen propterea absolutè factus est incapax ad retinendum vel acquirendum; quia non habet incapacitatem remotam, quæ proueniat à natura vel lege: sed solùm habet incapacitatem proximam, quæ consistit in ipsius volentis actu libero non volendi retinere, vel acquirere dominium: qui actus, dum

perseuerat, reddit vouentem non remotè, sed solum proximè incapacem. quocirca si mutet voluntatem, & velit retinere vel acquirere dominium; iam erit absolutè capax, vel non incapax retinendi & acquirendi.

201 Tertio notandum est, votum paupertatis, quod emittitur in Societate post biennium probationis, ex intentione vouentium & Religionis acceptantis, non habere pro materiâ actum non volendi retinere dominium rerum suarum absolutè: sed cum hoc addito, non volendi retinere & de facto relinquere, *quandocunque Superior iusserit*; sicut nec est materia huius voti actus non volendi acquirere dominium absolutè, sed cum addito, id est, *sine consensu Superiorum*. ex quibus fit, Scholares Societatis post vota, si Superior non iubeat abdicare dominium, non peccare, volendo illud retinere, & retinendo. Atque ex his omnibus facilè est respondere ad argumenta contraria.

202 Ad primum enim, dico, non esse parem rationem voti & contractus humani. quia ad contractum humanum concurrit vtriusque contrahentis volũtas. *l Labeo. 19. ff. de verb. sig.* obligatio autem consurgens ex voluntate duorum non potest auferri per voluntatem vnius tantùm, in ordine ad id, ad quod se obligauit *per l. nihil tam naturale est. 35. ff. de Reg. Iur.* Huc accedit, quod contractus, & conuentiones humanæ mutuæ habent robur & firmitatem à lege naturali vel positiua, quibus stantibus, etiam si quis velit; non potest contem-

nere

nere & non obseruare contractum, & conuentionem initam *per l. nemo potest. 75. ff. de Reg. Iur.* At in voto, quo quis se obligat ad actum non volendi retinere dominium vel acquirere, non concurrit vlla lex naturalis vel positiua, quæ faciat vouentem incapacem ad volendum retinere & acquirere dominium: & Ius naturale de obseruando voto, solùm facit, vt quis volendo retinere ac acquirere dominium peccet: & idcircò, sicut vouens vouendo indixit sibi illam legem, vt non vellet retinere vel acquirere dominium; ita liberè potest retractare & velle retinere aut acquirere, & sic habere *capacitatem proximam* siue *non incapacitatem* ad retinendum vel acquirendum, quod erat antecedens mei argumenti.

Dicet. Ergo Scholaris Societatis saltem peccabit contra votum, volendo dominium bonorum suorum retinere.

Respondeo. Negando assumptum. quia, vt modò dixi, votum Scholaris non est absolutè de non retinendo & non volendo retinere, sed quãdo Superior iusserit abdicari. Peccaret, si vellet retinere etiã postquã Superior abdicari iussisset.

Ad secundum negatur sequela. hoc est, minus 203
fortiter obligaturum votum, per quod Deo acquiritur obligatio, quã humanas cõuentiones, per quas acquiritur homini. nã in ordine ad peccatũ fortius obligat votum, quàm conuentio vlla humana, sed, quod pertinet ad nullitatem actus, votum ex natura suâ, licet frangatur, non irritat actum contrarium, vt patet in contrahente matri-

monium, post votum simplex Castitatis, & in accipiente aliquid temporale post votum simplex Paupertatis. At in multis conuentionibus humanis, si vna pars tantùm tentet contrà facere; nihil efficit. v. g. qui donauit sua, non potest retrocedere. & ratio diuersitatis est, quia si altera pars non consentiat; lex naturalis & positiua sæpissimè irritat actus contrarios. Si autem per votum aliquid promittatur Deo, spectatâ solâ naturâ voti, nulla lex est, quæ annullet contrarium actum.

304 Ad tertium patet ex alibi dictis. Vide *num.* 123. & seqq. quia in casu Titij licet Caius esset in detentione aut possessione rerum ipsius Titij vouentis; tamen votum Titij, vt ostendi, non est titulus habilis ad transferendum dominium, ita vt *Caius potuerit mutato titulo, incipere possidere nomine & animo domini.*

Ex his postremò infertur, rectè fuisse à me dictum; vouentem & se obligantem ad volendum retinere vel acquirere dominium mutata voluntate, posse recuperare illam capacitatem, quam per votum abstulerat. quia hæc est *capacitas proxima*, de qua loquor, non *remota*. & ideò sicut reuera per votum fuit amissa; ita mutata voluntate propriè dicitur recuperari.

De Principijs seu Assertionibus Aduersarij, quas ponit ad refellenda alia tria mea argumenta.

305 PRima Assertio habetur *num.* 69. *Est autem*, inquit, *hæc de re nostra hæc sententia: per præstationem voti*

votorum substantialium statim vouentem in potestatem Ecclesiæ vna cum proprietate & dominio rerum temporalium perpetuò transire sine vllâ hoc specialiter sanciente Ecclesiæ constitutione, ex naturâ quasi & votorum qualitate. habemus huius sententiæ Assertorem Bartol. in Authent. ingressi. n. 2. C. de SS. Eccles.

Secunda Assertio est num. 74. *est ergò*, inquit, *ea* 206
nostra sententia. non Iure Ecclesiastico priuari dominio religiosum: non etiam priuari demum per emissionem votorum: nec, nisi ineptè, votorum solemnitate: Sed priuari Iure Ciuili canonizato in cap quia ingredientibus.

Examinemus tantisper hæc Aduersarij principia, vt videamus, num illi deseruiant ad soluendas meas rationes.

Primò. Noto vtrobique dici ab Aduersario 207
suam esse sententiam. Itaque si ostendero, hæc principia inter se pugnare; non poterit negare, se in hac re pugnantia sentire.

Secundò. Quæro ab illo. quid sibi velit cum 208
dicit. *num. 69. vouentem transire statim in potestatem Abbatis ex naturâ quasi & votorum qualitate?* cur apponitur illud *Quasi?* an vt significet, istum transitum non esse de essentia votorum, sed *quasi* essentia? An vt significet, non esse essentiam, sed solùm proprietatem quarto modo votorum, quæ conueniat omni, soli, & semper, si hoc vult; perinde est in nostro proposito, ac si esset de essentia. An, vt indicet, esse solùm qualitatem accidentalem votorum, & aliquid extrinsecum superadditum, quod possit adesse, & abesse absque corruptione votorum substantialium Religiosorum? si hoc

vult; non dissentio. Ego quoque idem affero. Sed tunc illi difficilè erit explicare, quid sit istud extrinsecè superadditum, per quod vota religiosa *faciant transire vouentem in potestatem Abbatis* cum amissione omnis dominij, nisi fortè dicat esse Constitutionem humanam, vt videtur velle, ab Ecclesia canonizatam. quod si fateatur; non facilè respondebit ad mea argumenta.

209 Tertiò interrogo, quo modo non pugnent inter se hæc duo? *per præstationem votorum statim vouens transit in potestatem Ecclesiæ cum proprietate & dominio.* &, *vouens non priuatur dominio per emissionem votorum.* An fortè sunt quid diuersum votorum præstatio & emissio? Item illa: *vouens transit in potestatem Ecclesiæ cum proprietate & dominio ex naturâ votorum sine vllâ hoc specialiter sanciente Ecclesiæ Constitutione.* &, *vouens priuatur dominio, Iure Ciuili canonizato in cap. quia ingredientibus.* Qui textus Auctoritatem habet à S. GREGORIO MAGNO, & cõsequenter ex Constitutione Ecclesiæ.

210 Quartò scire aueo, An putet, Imperatores & Laicas potestates potuisse legem condere habentem vim obligandi religiosos, & efficiendi illos incapaces dominij sine Auctoritate Ecclesiæ? si affirmet; toto cœlo errat. si neget: qua ratione asserit, *vouentem transire in potestatem Ecclesiæ cum proprietate & dominio ex Iure Ciuili canonizato in cap. quia Ingredientibus*, quod est eiusdem Ecclesiæ? si enim hanc canonizationem auferas; nullam vim ad hoc habebit lex Imperialis.

211 Quintò, Cupio mihi explicari; cur *non nisi ineptè*

dicatur

dicatur num.74. religiosos priuari dominio, votorum solemnitate? Equidem nullum hactenus Doctorem inueni præter te, qui non dicat, Religiosos priuari dominio, per vota solemnia. certè, si votum solemne hanc vim habet, non habet quâ votum, sed quâ solemne est, ergo forma vel ratio formalis, per quam hanc vim habet. est solemnitas.

Sextò. In supradictis Assertionibus Aduersarij 212 habeo aliquas difficultates. Prima est. quî fieri possit, *vt vouens transeat in potestatem Ecclesiæ cum proprietate & dominio per præstationem votorum substantialium, ex naturâ ipsorum votorum*, cum antiqui Religiosi essent substantialiter Religiosi: & tamẽ retinerent dominium? & in Societate ex definitione Sedis Apostolicæ aliqua vota religiosa substantialia non habeant vim priuandi dominio? ad hoc argumentum erat respondendum: & non vagandum per auia & deuia. Secunda difficultas est, Quî fieri possit, *vt sine sanciente Ecclesiæ Constitutione habeant vim vota priuandi dominio*: cum communis Doctorum sententia sit, hanc vim priuandi habere solùm vota solemnia? Et solemnitas hæc sit ex solâ Ecclesiæ Constitutione inuenta, vt fusè probaui in II. Parte? Tertia difficultas est, quomodo *non priuetur dominio Religiosus Iure Ecclesiastico*: cum omnes Doctores dicant, priuari ex vi *textus in cap. quia Ingredientibus.* quod est Ius Canonicum & Ecclesiasticum? Sed hæc satis sint de duabus hisce Assertionibus, & Principijs Aduersarij, ex quibus apparet, non posse solui tria illa mea argumenta posita *num.* 193.194.195. quoniã

reuera essentia status Religiosi à CHRISTO instituti non includit dominij incapacitatē: neque hæc est coæua Religiosæ Paupertati: sed habetur solùm ex Ecclesiæ Constitutione. Persequamur reliqua, quæ subnectit. & videamus, vtrum expiscari possimus aliquid quod eruditorum gustui, ac palato sapiat.

Expenduntur quædam Aduersarij Argumenta & Responsiones à num. 69. vsque ad 77.

214 Primò *num. 69.* ex doctrinâ *Bartoli* asserit, *per ingressum in Monasterium, sine nouâ apprehensione Monasterium omnium bonorum possessionem & dominium acquirere.*

Respondeo hoc esse verum per *ingressum cum effectu*, hoc est, per emissionem professionis & votorum solemnium. verba. n. cum effectu sunt accipienda. *l. si per alium* §. *docere. ff. ne quis eum quin Ius vocat. est, vi exim. l.* 1. §. *hæc verba ff. ne vis fiat. &c.* Scholares Societatis non emittunt professionem, sed vota simplicia.

215 Secundò, multis Doctorum testimoniis relatis probat, *ingressos monasteria, capite minui, & mori ciuiliter.*

Respondeo hæc esse vera de *ingressis cum effectu*, & professis solemniter, & stando in Iure communi. quo in hac parte Societas respectu Scholarium non regitur.

216 Tertiò. impugnat meam sententiam, vbi dico, Ecclesiam adiunxisse voto illam vim priuandi omni

omni Iure & dominio. *quia Baldus. Rimin. Iun. Menoc. & D. Mart.* docent *ingredientes Monasteria priuari dominio per primum ingressum.* non tantùm per eum, qui fit per Professionem. Respondeo, hanc doctrinam non admitti à multis alijs, præsertim post *Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. c. 16.* & licet hoc esset verum; primus Ingressus non posset habere illam vim, nisi ab Ecclesiæ Auctoritate.

Ad confirmationem, qua dicit, *hanc ipsam sententiam Baldi &c. necessariò amplecti debere illos, qui autumant. Si Pater Filio sub cõditione si sine liberis decesserit, fratrem substituerit, institutus verò post ingressum in Monasterium intra annum probationis adhuc Nouitius decesserit. bona acquiri monasterio excluso substituto.* Vel *venientibus ab intestato.* Respondeo, hanc doctrinã de exclusione substituti, &c. in isto casu non admitti communiter à Doctoribus. Vide *Sanchez in Decal. lib. 7. c. 3. num. 92.* Vbi pluribus etiam docet, dominium rerum Nouitij non transire in Monasterium vllo modo, nec irreuocabiliter, nec reuocabiliter, nisi cum certis limitationibus, quæ in casu nostro non militant.

Quartò. Ad impugnationem cuiusdam mei 217
argumenti desumpti ex voto Castitatis, cum quo stat Ius in corpus coniugis post consummatum Matrimonium, Aduersarius dicit *esse ineptam obiectionem.* Sed cur quæso *inepta* dicitur? contendebã, non esse de essentia Religiosæ Paupertatis auferre Ius & dominium radicale respectu bonorum temporalium: sed solùm vsum. demonstraui hoc à pari in religiosa Castitate, quæ stat cum Iure in

corpus

corpus coniugis, quam paritatem approbat *Ema Rodriquez, Vasquez, Suaretz, Sanchez*, alijque plures. quid solidi opponi potest? Respondet, non esse mirum, quod ius in corpus coniugis maneat cum voto castitatis, quia matrimoniũ consummatum est indissolubile. Sed hoc est nugari: si essentia religiosæ Castitatis non excludit Ius in corpus coniugis, cur votum Paupertatis excludit Ius & dominium bonorum.

218 Quintò, num. 75. infert. *quantum ad priuationem dominij attinet, frustrà me distinguere inter vota solẽnia & simplicia substantialia Religionis, propriè dicta, frustra etiam me sæpissimè monere, Religiosos primorum sæculorum fuisse verè & propriè Religiosos, & nihilominus capaces dominij: & falsò prætereà à me asseri, vota Scholarium se habere instar merè simplicium. quoniam in Consultatione num. 57. habere effectum votorum solemnium dixi.* Sed sanè hæc omnia sua spontè cadunt, vt patet ex dictis. Quod dicit num. 57. *me concessisse, vota simplicia habere effectum votorum solemnium*; respectu abdicationis dominij; falsò dicit. quia illud affirmo non de votis simplicibus Scholarium, sed Coadiutorum formatorum.

219 Sextò num. 75. extremo ait, *me petere principium, quando assero, Scholares per vota non priuari dominio*: & reddo rationem: quia hunc effectum priuandi dominio habent vota solùm ex constitutione Ecclesiæ, cui non placuit eandem vim annectere votis Scholasticorum. Pro me cupio responderi à Dialecticis, qui probè norunt, tunc esse petitionem principij, quando redditur pro

Ra-

Ratione id, quod dicitur in Conclusione. Conclusio mea est: *Scholastici Societatis per votorum emissionem non priuantur dominio.* Peterem opinor principium, si responderem. *Non priuantur dominio, quia per votorum emissionem non priuantur dominio.* Sed cum respondeam, *Non priuantur dominio, quia vota non habent hanc vim ex naturâ suâ: sed solùm ex Constitutione Ecclesiæ; cui non placuit hanc vim annectere votis Scholasticorum*; ecquis alius dicere queat, me petere principium, nisi tu, cuius EPOPSIS non solùm est acephala, sed etiam apus?

Postremò obijcit, *votum simplex Castitatis Scholarium inualidare contractum matrimonij, & habere vim voti solemnis. ergò etiam votum Paupertatis reddit Scholasticum incapacem dominij.* Et quia ego respondi, afferendo disparitatem ex eo, quod Ecclesia non adiunxit illi voto simplici Paupertatis istam vim priuandi dominio (quæ certè est vnica ratio & à priori in hac materia.) Rursus dicit, *me petere principium.* Itaque non est opus aliâ solutione, quàm allatâ de petitione principij. Et licebit mihi per EPOPTAM illam hîc non repetere, vt saltem hæc confutatio, quæ ex EPOPTÆ sententiâ tam crebro *petit principium*, tandem aliquando inueniat etiam finem.

V. Con-

V. Confutationem Argumenti ex Refutatione omnium Obiectionum nullam esse demonstratur.

221 QVintum argumentum, quo in Consultatione ostendebam, Titium per vota simplicia non confirmasse testamentum factum ante ingressum, nec suorum bonorum dominium transmisisse in Caium, ducebatur ex Refutatione omnium Obiectionum, quæ allatæ fuerant in illo Scripto; quod reijciebam. Cum autem per occasionem respondendi ad Argumenta Aduersarij in EPOPSI repetita & ad Confutationes Rationum mearum, ostenderim, quàm inanes fuerint Aduersarij conatus in meis refellendis; in præsentia non est mihi consilium eadem repetere: hoc tantum ago, vt demonstrem, multa esse à me adducta argumenta in Consultatione, ad quæ Author EPOPSEOS ne verbo quidem respondere voluit. ex quo non vana coniectura est, minimè potuisse. Illa igitur hîc enumerabo sub hoc titulo *Quintæ Confutationis*. qui titulus propterea rectius dicendus fuerat, Quinta *Non Confutatio*. Sed quãdo rem tenemus; de titulo solliciti ne simus.

222 Primò. Ostendi, textus varios Confutationum Societatis & duarum Bullarum GREGORII XIII. de retentione dominij post vota nullo modo explicari posse de *dominio in communi*. Aduersarius tantum abest, vt hoc argumentum refellat; vt potiùs accuratissimè in EPOPSI principali suo argumento quinto ex sentẽtia *Mandosij*, *Eman. Rodri-*

Rodriquez & Romani Haij contendat, Scholares *non retinere dominium in communi*, sed omne Ius bonorũ Collegiorum Societatis esse penes Præpositum Generalem.

Secundò. Eosdem textus probaui, non posse 223
intelligi de *dominio particulari passiuo*. Aduersarius omnes meas rationes dissimulat.

Tertiò. Dixi, acceptionem illam vocis *dominij*, 224
vt significet *capacitatem & potentiam passiuam* ad recipienda bona relicta in sæculo, esse omnino nouam, & omnibus Doctoribus incognitam, qui nomine dominij semper intellexerunt *ius & facultatem actiuam* disponendi de re aliqua per *l. in rem actio. ff. de rei vindic. l. si quis vi. §. differentia vbi. Bart. & DD. ff. de acquir. possess.* Ille pro suâ potestate, existimauit fortasse, sibi licere abuti vocabulis, meæque obiectioni silentio satisfecit.

Quartò: Adduxi complura Decreta septem 225
Congregationum generalium, in quibus grauissimi Patres à totâ Societate electi, supposuerunt, post vota simplicia retineri dominium actiuum particulare. Hoc ille argumentum tacitus omninò præterijt, ratus ni fallor abundè se respondisse, quòd alicubi dixerit, in Societate esse *abusum intolerandum retentionem dominij indistinctè omnibus concessam.*

Quintò. Respondi, omnes Doctores, quos ci- 226
tat, affirmantes, per ingressum Religionis, per vota substantialia, mori ciuiliter, transire vouentem cum proprietate & dominio in potestatem Ecclesiæ, confirmari testamenta, bona hæreditaria

trans-

transmitti in hæredes &c. esse intelligendos *de ingressu Religionis cum effectu*, id est per professionem, & de Votis solemnibus, & stando in Iure communi; Scholares autem nondum esse ingressos cũ effectu: eorundem vota esse simplicia: eos denique non regulari, hac in re, Iure communi: sed statutis peculiaribus ab APOSTOLICA SEDE approbatis & declaratis, etiam cum derogatione Iuris communis. Ille ad hæc omnia obfirmatè tacet.

227 Sextò Docui, Monachos primorum sæculorũ fuisse verè ac propriè Religiosos: & tamen non caruisse dominio *actiuo particulari* illiusq; capaces fuisse, sicut & testandi, & vt hæredes instituerentur: ac proinde statum Religiosum à CHRISTO institutum non includere essentialiter incapacitatem dominij. Ille hæc omnia soluisse se putat dicendo, *frustra hoc à me moueri.*

228 Septimò. Adduxi verba *Cõcilij Lugdunensis primi* celebrati anno 570. quibus decernuntur aliqua in fauorem vltimarum voluntatum Religiosorum: sicut etiam duos textus Legum Imperialium in eandem sententiam. Ille *Concilij Lugdunensis* ne meminit quidem: Leges autem Imperiales vt suprà diximus, in longè alienum à meâ mente sensum detorquet.

229 Octauò. Probaui, hanc solemnitatem, & effectum, vel potius vim, voti Paupertatis religiosæ, vt inducat incapacitatem dominij, esse ex solâ Ecclesiæ constitutione inuentam: & consequenter posse Ecclesiam hanc vim alicui voto Paupertatis

tatis non adiunxisse. Ille positis duobus illis admirabilibus principijs seu Assertionibus supra explicatis, meam hanc rationem pedibus trahit.

Nono. Docui ex sententia *Caietani 2.2.q.38.art.2.* 230
7. posse Ecclesiam admittere statum aliquem mãcipantem hominem ad diuinum cultum & religiosa opera cum voto simplici: vt si Ecclesia institueret, quod in sacro Ordine & Religione aliquâ simplex votum fieret, & hoc ipsum confirmaui authoritate SIXTI QVINTI, qui declarauit substantiam Religionis regulariter consistere in votis solemnibus. At posse summum Pontificem aliter statuere. Ille, ac si hæc testimonia sumpta essent de triuio, ne verbo quidem dignatur.

Decimo. Respondi, falsum esse, *statum Religiosum consistere in identitate & inuariabili substantiâ votorum solemnium, nec vllum esse posse Religiosum, qui per vota non destituatur dominio & illius capacitate.* & 231
probaui. quia PIVS QVINTVS in quadam suâ Constitutione declarauit Societatem, etiam quo ad Scholasticos, esse Religionem mendicantem: & GREGORIVS XIII. definiuit posse stare cum substantiali voto Paupertatis, rerum dominium. Ille solita dissimulatione, & taciturnitate hæc omnia soluit.

Vndecimo. Docui pariter, priuationem vsus 232
bonorum propriorum cum radicali dominio eorundem, non inferre statum diuitiarum directè contrarium Paupertati, si talis priuatio vsus sit perpetua, & maximè, si illo vsu priuati, teneantur se exuere etiam dominio, omni momento ad nu-

tum Superioris, quales sunt omnes Scholares Societatis: & non illi, qui existunt sub curâ Tutori & ratio erat, quia diuitiæ non tam expetendæ sunt propter dominium, quàm propter vsum. Ille hanc distinctionem & rationem penitus dissimulat.

233 Duodecimò. Ostendi, nullarum virium esse argumentum, quo asserebat Aduersarius, *non opponi paupertati Religiosæ vsum bonorum temporalium, sed dominium. ideoq; licet Scholares careant vsu, non posse dici pauperes, quia retineant dominium.* Retorquebam enim argumentum & dicebam, posse vitium proprietatis in Religioso stare cum carentiâ dominij. Vnde inferebam, dominij carentiam vel positionem non facere ad vitium proprietatis. Ille de hoc argumento nimis subtili non laborauit.

234 Decimotertiò. Dixeram, non licere argumentari à voto solemni Paupertatis in alijs Religionibus, ad votum Scholarium, quod Aduersarius *vocabat solemne ex parte ipsorum, licet non ex parte Religionis, quæ illos potest dimittere & à voto liberare*; esse enim hoc aiebam argumentari à simpliciter ad secundùm quid. Ille hos terminos tanquam ignotos, censuit esse non violandos; ideoque abstinuit omni responsione.

235 Decimoquartò. Adiunxi luculentissimum testimonium SACRÆ ROTÆ ROMANÆ in DECISIONE factâ in sacro illo tribunali 18. Aprilis. 1616. quo testimonio vix vllum grauius produci potest. Ille digito ad os oppresso fit totus *Harpocrates.*

tates, egoque mihi etiam silentium indictum puto.

SECTIO TERTIA.

De Excommunicatione à GREGORIO XIII. *latâ contra Impugnatores.*

COgit me tamen EPOPTÆ mei importuni- 236
tas adhuc pauca proloqui. In Consultatione *num.* 71. ac ferè extremo, hortatus breuissimè fueram Patronos Caij, & maximè Auctorem illius scripti, quod confutaueram (quod existimarem illo violatum esse GREGORII XIII. præceptum in Bullâ. *Ascendente Domino.*) vt conscientiæ suæ consulerent, seque expediri curarent quamprimũ vinculis illis, in quæ se nullâ officij necessitate coacti sua sponte induerant. nec verbum aliud addideram. solùm particulam illius Constitutionis transcripsisse ibidem contentus. EPOPTA, qui tã obstinatum silentium seruauit in confutandis quatuordecim meis rationibus, ad hæc paucula verba ex *Harpocrate* fit *Lynceus*, & introspicit meæ mentis penetralia, & quasi reperisset in ijsdem verbis validissimum argumentum, totis viribus, summo conatu hanc meam (vt ille appellat animaduersionem, ego Christianam admonitionem) *sub incudem vocat*, & confutare aggreditur his argumentis.

Primò. *De mente & genuino sensu Constitutionis etiã* 237
acerrimè disputare licet: modo sit disputatio, quâ nec impugnatur, nec contradicitur ipsa Sacra Religio. ergò de

mente, & sensu genuino Constitutionis Gregorianæ acerrimè disputare Doctoribus quibuscunque licuit, & licet.

238 Confirmatur: *quia licet Concilij Trid. interpretatio ad Pontificem Maximum spectet, & ad Illustrissimos Cardinales illius vicem gerentes; tamen circumferuntur plusquam centum & viginti dubia decisa à diuersis Scriptoribus in cap. 1. sess. 24. per Cauall. pract. q. 604. n. 18.*

239 Secundò probat, *quia licet de potestate Summi Pontificis disputandum non sit; attamen de voluntate quæri, & dubitari potest; quod est valdè diuersum per l. scire oportet. §. sufficit. ff. de excus. tut. ergò si qui Doctores contenderunt,* GREGORIVM XIII. *non habuisse voluntatem, & intentionem definiendi, Scholares Societatis retinere dominium bonorum suorum particulare actiuũ; non violarunt illam Constitutionem: & consequenter non subiacent censuris & pœnis.*

240 Tertiò probat. *quia vbi intercedit disputandi causa iustissima & necessaria, non fit contra præceptum Constitutionis. Sed Curator Caij in hac Controuersiâ, habuit causam iustissimam, & necessariam disputandi. ergò saltem Curator non incurrit censuras & pœnas in illâ Constitutione propositas.* Probat minorem. & primo, habuisse Curatorem causam iustissimam. *quia illi adstipulantur viri grauissimi Horatius Mandosius, Hyeronimus Gabrielius, Romanus Hayus, Eman. Rodriquez, eamque tuentur diuersa responsa Doctorum: non duorum tantùm, quos sufficere, vt quis iustam litigandi causam habere dicatur, existimat Baldus in l. Iuris ignorantiã. C. qui admitti, ad bo. pos.* Probat deinde, Curatorẽ eundem habuisse causam necessariam. *quia Curatoris est vtilia agere, & inutilia prætermittere, & pendente appel-*

appellatione causam prosequi; nisi periurus esse, aut rei familiaris diminutiuam actionem tutelæ experiri mauelit. l. 11. C. de Admist. Tut.

Postremò quærit à me, *cur in illâ causâ decisâ in* 241
SACRA ROTA ROMANA D. *ille Abbas priuilegiorum Societatis acerrimus disputator, vt ex eâdem Decisione videre est, ad tribunal excommunicationis non fuerit vocatus?*

Pro solutione sunt hoc loco breuiter propo- 242
nenda duo Capita Constitutionis GREGORII XIII. quæ incipit *Ascendente Domino.* Is ergò, cum non solùm confirmasset Societatis Institutum, & ipsius Constitutiones & Decreta qualiacumque (quod & plures alij Summi Pontifices fecerunt) declarauit etiam peculiares quosdam articulos, qui in eadem Constitutione recensentur, illisque Apostolicæ Auctoritatis robur adiunxit. Inter quos articulos, vnus est, *eos, qui post biennium probationis emittunt vota simplicia, fuisse, esse, & fore verè ac propriè Religiosos.* Alter est, *eosdem bonorum suorum ius atque dominium ad tempus Generalis Præpositi iudicio, præscribendum, posse retinere: vt in pauperes tandem, seu alios pios vsus pro ipsorum deuotione, distribuant, iuxta Euangelicum consilium, ac promissionem, quam initio Nouitiatus faciunt:* Tertius est, *hos Religiosos licet retineant, vt dictum est, votorum suorum dominium, tamen quantum ad illorum vsum, religiosam paupertatem seruare.* His stabilitis idem GREGORIVS duo facit *ad contradicentium audaciam coërcendam.* Primum, *omnes Assertiones in illâ Constitutione expressas, & quasquis alias illis similes contra Societatis Institutum, vel quo-*

modolibet in illius præiudicium pronunciatas aut scriptas, decernit *falsas omninò & temerarias esse & censeri debere*. Deinde in virtute sanctæ obedientiæ ac sub excommunicationis latæ sententiæ alijsque grauissimis pœnis prohibet nonnullas actiones, de quibus antequam dicamus; operæ pretium est texere breuem catalogum quarundam Assertionum, quæ sparsæ sunt in EPOPSI. vt quiuis intelligere possit, quid de ijs iuxta Apostolicam censuram iudicandum sit.

ASSERTIONES

Directè vel indirectè contrariæ Societatis Instituto.

243 PRima est *num.* 3. Scholares Societatis, postquam per viam testamenti de suis bonis disposuerunt, dispositionis istiusmodi reuocationé cassationemque post Ingressum, Constitutiones seuerè prohibent.

2. *n.* 9. Scholares per emissionem substantialiũ Votorum, habent Dominium tanquam non habentes, nec habent testamenti factionem.

3. *n.* 11. *in fine*. Ad statum Perfectionis non sufficit illa Paupertas, per quam actu relinquimus omnia bona temporalia. sed oportet, vt cadat sub obligationem numquam illa quærendi. Per hoc autem intelligit debere induci incapacitatem Dominij.

4. *num.* 17. Scholares non retinent dominium particulare ad testamenti factionem prorsus necessarium.

5. Ibidem

5. *Ibidem in fine.* Si Scholares sine iustissimâ causa dominium in particulari retinent & testamenta condunt maximè reuocatoria antecedentium, nemo existimare potest eos esse verè Religiosos.

6. *n.*23. Titius (eadem est ratio de omnibus Scholaribus) non potest post vota substantialia religionis Societatis, etsi simplicia, testamentum componere.

7. *n.*26. Non est in Iure Societatis vllum verbũ, quo Scholares excipi possint à communi Iure prohibente Religiosos testamenta condere.

8. *n.*30. Votum Substantiale & Essentiale status verè religiosi, etiam simplex, si emittatur absque protestatione retinendi dominium, si bonorum, emittentis vota, possessio sit apud alium, & illorũ traditio vera vel ficta antecesserit vel subsecuta fuerit, votum instar causæ aut tituli mediante dicta traditione transfert dominium.

9. *n.*24. Quando Scholares Societatis post vota simplicia retinent dominium, cum illis dispensatur in Iure diuino.

10. *n.*42. Per testamentum factum, siue ante, siue post ingressum in Nouitiatum Societatis, res temporales irrecuperabiliter in alios erogantur, hoc est in hæredes.

11. *n.*43. Non omnes & singuli, nec semper: sed aliqui tantùm, & solùm si adsint iustæ causæ post vota simplicia, retinent dominium.

12. *ibidem.* Scholares post Vota dominium *actiuum in particulari* dimittunt, & retinent *dominium in communi, & passiuum in particulari.*

13. *n.*44. Constitutiones Pontificiæ non confirmant Constitutiones Societatis, quatenus concedunt dominij retẽtionem omnibus &, singulis, & semper: sed solùm pro nonnullis, qui habent iustas peculiares causas.

14. *n.* 45. Quando Præpositus Generalis Scholares liberè dimittit iuxta Constitutiones, reponit eos in statu, in quo iterum dominij capaces fiant.

15. *n.* 46. Falsissima assertio est, dicere dominium, quo se Scholares exuunt quando Generalis iniungit, esse dominium in particulari & non in cõmuni.

16. *n.*52. & 53. Si in Societate est consuetudo, vt *dominium particulare actiuum*, & ad testamenti factionem expeditum indistinctè omnibus reseruetur; est contra Constitutiones & contra Essentialia & substantialia vota religionis, & dubia, & & non sine animi periculo, nec per Superiorem toleranda, sed cassanda.

17. *n.*67. Scholares emittentes Vota simplicia possunt renuntiare Constitutionibus concedentibus retentionem dominij etiam indistinctè omnibus, cum principaliter ipsorum fauorem respiciant, non etiam Superiorum.

18. *n.*69. Per præstationem Votorum substantialium statim vouens in potestatem Ecclesiæ cũ proprietate & dominio rerum temporalium perpetuò transit, sine vlla, hoc specialiter sanciente, Ecclesiæ Constitutione, ex natura quasi & votorum qualitate.

19. n.75. Quantum attinet ad priuationem dominij, frustra distinguitur inter vota solemnia & simplicia, substantialia tamen, & Essentialia Religionis propriè dicta. Hæ Assertiones ijsdem verbis leguntur in EPOPSIEO translatæ ferè omnes ex illo Scripto manu exarato, quod in Consultatione refutaui. in quo sunt nonnullæ aliæ similes, quæ ad iustum conficiendum numerum, non sunt prætermittendæ, cum haud dubiè eiusdem Authoris sint.

20. ergò in Ordine est hæc: Vota substantialia, quibus aliquis fit verè ac propriè Religiosus, priuant vouentem *dominio in particulari* bonorum suorum.

21. Vnitas status Religiosi consistit in identitate & inuariabili substantia Votorum solemniũ eiusdem, per quæ Religiosi destituuntur dominio, & illius capacitate & Iure testandi.

22. Priuatio vsus bonorum propriorum cum radicali dominio eorundem stat cum statu diuitiarum: & ideò verus Religiosus, si retineat dominium, licet sit priuatus vsu; non est pauper.

23. Licet Scholares Societatis careant vsu & administratione bonorum suorum; tamen si retinent dominium, non sunt verè pauperes. cum priuatio vsus, vel positio non faciat ad paupertatem religiosam.

24. Qui in Religione approbata substantialia vota emisit, est mortuus ciuiliter, & amittit dominium; & hæres institutus, post hanc mortem, adit hæreditatem Ingressi.

25. Si Scholaris Societatis retinet suorum bonorum dominium; necessariò vtitur rebus suis tanquam proprijs, etiam de licentiâ Superiorum; vnde infertur ipsum esse proprietarium, & non seruare religiosam paupertatem.

26. Scholares Societatis ex parte sua emittunt votum solemne: & consequenter, sicut omnes professi, sunt incapaces dominij.

Vltima. Ijdem Scholares per votum Obedientiæ amittunt liberam, & independentem voluntatem, ergò neque de Superiorum licentia possunt testari.

244 Non est dubium, has omnes Assertiones quasdam directè, quasdam indirectè aduersari tribus illis Articulis à GREGORIO XIII. definitis, & cedere in euidens præiudicium Instituti Societatis. Et Aduersarius tum in illo Scripto; tum in EPOPSI omnes ingenij neruos contendit in illis stabiliendis: vt probaret Scholares Societatis post Vota simplicia non retinere *dominium actiuum particulare* propriorum bonorum. Iudicet iam æquus, & eruditus Lector, an non iuxta censuram Gregorianam, hoc est, Apostolicæ Sedis, meritò appellari possint huiusmodi Assertiones *falsæ omninò, & temerariæ*. Certè quatuor illi Theologi, qui vt habetur in vltimâ EPOPSEOS pagellâ, Scriptum illud suo calculo comprobarunt, probè iam intelligere possunt, quale prudens quisque de ipsorum Iudicijs iudicium ferre debeat. Resolutiones in eo Scripto contentas, & à nobis paulò ante recensitas, primus inter illos Theologos approbat

tanquam consentaneas tam externorum, quàm domesticorum Societatis Iesu doctrinæ: Secundus se illas Doctorum *communi sententiæ conformes* reperisse affirmat: Tertius appellat *easdem vti Doctas, ita & veras*; Quartus denique iudicat *esse veras*, ideoque sine humano respectu, vti *veritati ac iustitiæ conformes* sequendas. GREGORIVS autem XIII. Motu proprio, ex certâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine definit, *easdem Resolutiones siue pronunciatas siue scriptas, falsas omninò, & temerarias esse, & censeri debere.* Nos ergò cum bona tantorum Theologorum veniâ *sine vllo humano respectu* ipsorum suffragijs, vtpote Pontificiæ declarationi penitus contrarijs, nihil omninò deferendum esse contendimus: quando præsertim tantum abest, vt illius Scripti & EPOPSEOS *Resolutiones sint aut Scriptorum Societatis, aut externorum doctrinæ, aut cõmuni Doctorum sententiæ, aut Veritati, aut Iustitiæ conformes & consentaneæ*: vt nihil esse possit difforme aut dissentaneum magis.

Sed veniamus ad alterum, quod GREGORIVS XIII. in memorata Constitutione facit.

De Præcepto Gregorianæ Constitutionis.

PAgina 241. præcipit *in Virtute sanctæ obedientiæ sub pœnis excommunicationis &c. ne quis cuiuscunque status &c. Societatis Institutum, Constitutiones, vel etiam illam ipsam suam, aut quemuis earum articulum, vel aliud quid supra dicta concernens, quouis disputandi; vel etiam Veritatis indagandæ quæsito colore directè vel* 248

indi-

indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat: & prohibet districtius, ne quis siue extra, siue intra Societatem nisi de Præpositorum licentiâ notationes &c. facere, vel eas nisi quantum verba ipsa sonant interpretari, vel de eis disceptare &c. præsumat. Quod præceptum Pontificium, & prohibitio, vt refert *Eman. Rodriquez qq. regul. tom. 1. q. 1. art. 5.* (vbi ex professo hanc quęstionem examinat) aliquibus nimis dura visa sunt. Nam Viris doctis, Theologis, aut in Iure Canonico peritis, præsertim laureâ Licentiatus aut Doctoratus insignitis, explicare dubium sensum Bullæ, aut priuilegij Apostolici, semper licitum fuit: quod est vnum ex Argumentis nostri EPOPTÆ.

246 Verum, vt idem *Emanuel Rodriquez eodem loco*, subdit: isti mentem Pontificis minimè penetrant: *quæ fuit*, inquit ille, *vt multis turgijs parum ad ædificationem pertinentibus, imò scandalosis obuiaret, sicut etiã in primordijs Ordinum Prædicatorum & Minorum ordinauit* ALEXANDER IV. *Pontifex Maximus contra quendam VVilhelmum de Sancto Amore & alios Vniuersitatis Parisiensis.* & infra *simile etiam*, inquit, *legimus fecisse his temporibus* Pium V. *in Bullâ quæ incipit. Super specula. in qua statuit, & ordinauit, ne quisquam de immaculatâ Virginis Conceptione disputare præsumeret: vt postea etiam fecerunt* PAVLVS V. *&* GREGORIVS XV. *& sic*, inquit Rodriquez, *non est mirum quòd* GREGORIVS XIII. *viam præcludat disputationi de his, quæ pertinent ad statum religiosum Societatis Iesu: vt verborum pugnas, ac quæstiones reprimat, ex quibus oriuntur inuidiæ & contentiones, cæteraq; vitiorum*

mon-

monstra. Nec obstat, quod aliqui dicant, sicut non vetatur disputatio de Sanctissimâ Trinitate, sincerâ intentione ventilatâ; ita non debere vetari disputationem de statutis Societatis. Nam disputatio, inquit ille, *de Sanctissimâ Trinitate & mysteriis fidei, est necessaria Ecclesiæ, & vtilissima ad conuincendos & redarguendos hæreticos & infideles. At disputatio de concernentibus Societatem, supposito, quod sint à Sede Apostolicâ approbata, etiamsi fiat sincerâ mente; non est necessaria nec vtilis, imò parit discordias, inuidias incitat, inimicitias gignit in animis eorum, qui vt homines, possunt præsumere talem disputationem non sincerâ, sed sinistrâ intentione ab aliquibus proponi.*

Hactenus *Rodriquez*. quid dixisset, si sciuisset, aliquem velis remisque, vt aiunt, contendere, Scholares Societatis *non retinere dominium bonorum suorum ad tempus arbitrio Generalis præscribendum, nec quantum ad vsum eorum religiosam seruare paupertatem*: quæ est contradictoria Articuli seu Assertionis à GREGORIO XIII. definitæ?

Cæterùm numeremus distinctiùs Vser. ationes, 247
quæ sunt materia huius Præcepti, prohibitæ sub grauissimis illis pœnis, ex sententiâ *Martini Bonacinæ 3. tom. de excommun. in part. disp. 2. q. 3. punct. 35.* vbi ex professo agit de excommunicatione huius Constitutionis *Ascendente domino.*

Prima, inquit, *Actio est directè vel indirectè impugnare Institutum Societatis* IESV, *vel eius Constitutiones, vel istam* GREGORII *dispositionem vel aliquem istius dispositionis aut prædictarum Constitutionum Articulum, etsi hoc fiat prætextu disputandi aut inquirendi veritatem.*

Sanè

Sanè constat vnum ex Articulis in Constitutionibus prædictis contentum, esse, quem Aduersarius acerrimè impugnat de dominij retentione post vota simplicia; neque valet respondere, hunc articulum non esse clarum in dictis Constitutionibus. quia GREGORIVS prohibet etiam, ne quis in prædictis Constitutionibus contenta interpretetur *nisi quantum ipsa verba sonant*. verbum *dominiū*, præsertim additis illis vocibus *bonorum suorum*, & *retinere*, & quidem ad finem, vt distribuant eadem bona in pauperes iuxta consilium Euangelicum, & promissionem factam initio Nouitiatus, quæ promissio fit de distribuendis bonis proprijs & paternis, quæ sunt in sæculo: hæc, inquam, verba apud omnes homines sanæ mentis nil aliud sonant, nisi Ius & facultatem actiuam perfectè disponendi de rebus suis. qui ergò illa interpretantur de *dominio in communi* vel *passiuo*, & negant, dominium retineri sed amitti; viderint an hoc sit interpretari *solum quātum verba sonant:* & hæc est *Altera Actio* prohibita in Bulla & materia excommunicationis latæ sententiæ, & aliarum pœnarum.

Tertia actio est facere notationes, declarationes, Glossas vel Scholia super Constitutionibus vel præfatâ Bullâ.

Quarta. disceptare vel scrupulum cuiquam inijcere circa prædictos articulos.

Quinta. In dubium reuocare vel controuersiam.

Sexta. Legere Glossas seu interpretationes ad hoc pertinentes, siue scriptæ sint, siue impressæ.

Septima. Illas docere, alijsque tradere.

Octaua.

Octaua. Easdem vendere.

Vltima. Apud se retinere.

Concludit autem *Bonacina*, prædictas omnes actiones sub excommunicationem cadere. quia recensentur in *eodem* §. & Clausula in principio posita refertur ad omnia subsequentia posita in eadem propositione. Et soluit obiectionem, quæ posset fieri; istas actiones præter primam, non prohiberi in virtute Sanctæ Obedientiæ. Respõdet enim, omnes prohiberi per illud verbum *Inhibentes*, quod est participium, & pendet à verbo *præcipimus in Virtute Sanctæ Obedientiæ*. Hactenus *Bonacina & Rodriquez*, qui cum non fuerint homines Societatis; non poterunt ab Aduersario, vt solet, allegari suspecti.

Sed posset nonnemo obijcere, solemne esse in 248
Constitutionibus Pontificijs addere illam clausulam, per *quam cuilibet aufertur facultas aliter iudicandi & interpretandi*: & tamen hac non obstante, permultæ quotidie prodeunt impunè Interpretationes, & declarationes Pontificiarum Constitutionum.

Respondeo, in hac *Constitutione Gregorianâ* du- 249
plicem esse clausulam, quâ prohibetur declaratio & interpretatio. Altera est modo relata, quæ solemnis est, & solùm prohibet interpretationes, vt ita dicam, authoritatiuas, & factas publica potestate: non autem priuatas, aut quæ nullam habent vim, nisi tanquam responsa Prudentium: & hoc clarè colligitur ex ipso modo loquendi. nam præcipit, *sic* (prout est in Bulla) *in præmissis omnibus & singu-*

singulis per quoscunque Iudices & Commissarios etiam causarum Palatij Apostolici Auditores ac S.R.E. Cardinales in quauis causâ, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere.

250 Altera clausula est valdè specialis, & rara, quæ, vt vidimus, interdicit omnibus cuiuscunque status & conditionis, tam Ecclesiasticis & Religiosis, quàm sæcularibus (qui certè omnes non habent publicam authoritatem interpretandi) ne aliter interpretentur, *quàm quantum ipsa verba sonant*: & huiusmodi interpretatio est sub excommunicatione probibita: etiamsi non sit publica, & authoritatiua propter rationes supra *ex Eman. Rodriquez* allatas.

Respondetur ad Argumenta initio proposita.

251 AD primum respondeo primò, si Auctor Constitutionis non prohibeat; non esse illicitum Doctoribus, quærere de ipsius genuino sensu: Sin autem expressè interdicat, ne quis in Constitutione contenta, interpretetur, *nisi quantũ ipsa verba sonant* (quod fecit GREGORIVS XIII. in hac Bullâ *Ascendente Domino*, cuius vnus Articulus est, emittentes vota simplicia in Societate post biennium, retinere dominium bonorum suorum ad tempus Præpositi Generalis arbitrio præscribendum) nullo modo esse licitum adhibere interpretationes alias, *quã quas ipsa verba sonant*: & si secus fiat; transgressores subiacere pœnis à Legislatore

tore propositis. Videamus iam EPOPTÆ interpretationes. *Constitutio Gregoriana* statuit vniuersaliter *de omnibus*, *& quibuscunque* emittentibus vota, post biennium retineri dominium. Ipse cõtendit, esse intelligendum *solùm de nonnullis*, & nõ de omnibus. Vox *Dominium* significat ius disponendi & consequenter facultatem actiuam. Ipse vult significare *capacitatem & potentiam passiuam*. Illæ dictiones *bonorum suorum*, quæ referuntur ad dominium, denotant ipsum dominium esse *ius particulare ad distribuenda bona propria*. & patet ex ipso textu Bullæ, qui expressè loquitur de bonis, quæ emittentes vota initio Nouitiatus promiserunt distribuere in pios vsus. Aduersarius vult, esse intelligendas de *Dominio in communi respectu bonorum Collegij*, cuius emittentes vota, membra fiunt. Verbum *Retinere* significat illud, quod quis habebat, tenere: emittentes verò vota non habebant bona Collegiorum: Sed illorum fiunt domini per votorum emissionem. Ille hoc verbum *Retinere* ingenuè fatetur *num*. 49. non esse accipiẽdum in propriâ significatione, sed abusiuâ. In eadem Constitutione dicitur, *retineri ab emittentibus vota, dominium, tum ob alias iustas causas, tum vt Societas maiorem habeat libertatem illos si opus fuerit minore cum offensione dimittendi*: quæ propositio est absoluta & non conditionata, & assignat causas, quæ generaliter conueniunt omnibus & singulis emittentibus vota. EPOPTA pugnat, hanc *propositionem esse conditionatam*, & per eam concedi retentionẽ dominij, *si iustæ causæ intercesserint*, & ipsas causas

vult, *nõ esse generales, sed peculiares & proprias vnicuiusque emittentis* vota, in quo aberrat. nam alioquin *Senatus consulta Velleianũ*. fæminis fideiussionem, *ac Macedon.* filijs mutui dationem prohibentia, cum subijciant causam, sequeretur esse conditionata & non absoluta, quod haud dubiè, etiam secundum EPOPTAM, est absurdum in Iure. Denique textus agens de tempore, pro quo bonorum dominium retineri potest, habet, esse *illud, quod arbitrio Præpositi Generalis præscribetur*. Aduersarius dicit *esse spatium breuissimum ad summum vnius diei*. si hoc est interpretari Constitutiones, *prout ipsa verba sonant iuxta genuinum sensum*; bonos interpretes nũquam desiderabimus.

251 Respondeo secundò. expressè in Constitutione Gregorianâ præcipi, ne quis *etiam disputandi gratia aut veritatis indagandæ causâ* articulum vllum in eâ comprehensum, impugnare audeat, vel de eo disceptare, aut in dubium vel controuersiam vocare. Collegium Coloniense fundabat suam intentionem, in hac parte Constitutionis Gregorianę, quâ confirmantur plures alij textus statutorum Societatis: in quibus conceditur Scholaribus retentio dominii propriorum bonorum post vota simplicia, contra Curatorem Caij reluctãtem reddere rationem administratæ curæ de bonis Titij eidem collegio cessis. Ego verò in mea Consultatione ijsdem nitebar fundamentis ad confutandũ illius Scripti Auctorẽ. Curator semper impugnauit hunc articulum de retẽtione bonorum, adhibitâ valde coacta interpretatione, &

contra

contra verborũ ſonum, hoc eſt, *de dominio paſſiuo, & in communi*, eundẽque articulũ oppugnauit variis rationibus, quę exſtãt in Proceſſu huius cauſę, & Auctor illius Scripti, qui non ſe gerit in eo pro Curatore, ex profeſſo pluribus argumentis impugnat hãc dominij retẽtionẽ, nõ veritatis indagãdę gratia, ſed opprimendæ, & cõtrarij erroris ſtatuẽdi cauſa, quod inde etiam manifeſtè conſtat, quia tantũ abeſt, vt perlecta mea Conſultatione reſipiſcere voluerit, vt etiã maiori conatu & pertinacia omnia mea argumenta reuincere, & reſpõſiones oppugnare aggreſſus ſit. Si hoc eſt confirmare, vt ille videtur ſentire, Inſtitutũ Societatis, quid erit impugnare ac deſtruere? Neque mihi dicat, vſurpans, vt facit, verba *Emm. Rodriquez, diſputare licere de ſenſu Conſtitutionis, modò ſit diſputatio, quâ nec impugnatur, nec contradicitur ipſa ſacra religio, ſed confirmatur & roboratur*, quaſi ipſe nõ impugnauerit Societatẽ, neque ei contradixerit, ſed ſolùm contra peculiarem articulum ſcripſerit, & paucos quoſdam Cõſtitutionis textus. quia GREGORIVS XIII. fert ſentẽtiã excõmunicationis, & aliarũ grauiſſimarum pænarũ, nõ ſolũ contra impugnãtes in genere Societatem, vel Inſtitutum, vel Cõſtitutiones, vel illas ipſas ſuas literas: ſed etiã impugnãtes *quẽuis* earum Conſtitutionum, vel ſupradictorum omniũ in illa Bulla *articulum*, vel *aliud quid ſupradicta concernẽs*. Itaq; conſequẽtia illius primi argumẽti negãda omninò eſt, dicẽdũq; eo modo, quo Auctor illius Scripti, & EPOPSEOS fecit, *non fuiſſe, nec eſſe, nec fore licitum, cuiquam* quicunq; tandẽ ille ſit,

disputare de retentione dominij post vota biennij in Societate: nisi velint contrahere grauissimas illas pœnas excommunicationis latæ sententiæ, & inhabilitatis ad quæuis officia & beneficia sæcularia, & regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendas.

253 Ad Confirmationem respondeo, non esse parem rationem Decretorum Concil. Trid. & huius Gregorianæ Constitutionis. illorum enim nõ prohibetur, sicut huius, interpretatio priuata *aliter atque ipsa verba sonant*; solùm potest esse par ratio in eo, quòd si quis eiusdem Concilij decreta impugnanda sibi susciperet, sicut suscepit EPOPTA, & Auctor illius Scripti, Constitutiones Societatis, & hanc Pontificiam, non ferret impunè.

254 Ad secundum, EPOPTA verbo quidem videtur fateri, non esse licitum, disputare de potestate SVMMI PONTIFICIS: verùm coarguitur, re ipsa, denegare ipsi potestatem approbandi pro verâ Religione aliquam Congregationem, in qua nonnulli emittant vota Essentialia & Substantialia Religionis, & retineant ad tempus bonorum suorum dominium, cum non semel dicat, esse contra essentiam & naturã Paupertatis religiosæ retinere dominium. Sed quicquid sit de hoc; quod asserit, esse licitum de voluntate Summi Pontificis quæri & dubitari; primùm respondeo, hunc etiam fuisse prætextum quorundam Theologorum, quorum *Audaciam* GREGORIVS XIII. *coërcere* voluit illa Constitutione: *Ascendente Domino*. cum enim alia quadam

Bulla,

Bulla, quæ incipit: *Quantò fructuosiùs.* declarasset multa spectantia ad Institutum Societatis; illi Theologi concedentes, ea non excedere Pontificiæ Potestatis limites, negabant eundem Pontificem talem habuisse intentionem & voluntatē. deinde respōdeo GREGORIVM XIII. hoc ipsum prohibuisse, dum præcepit, *ne quis quemlibet articulum* in illa Bulla contentum interpretaretur, nisi *quantum ipsa verba sonant.* cum ergò intentio & voluntas Legislatoris debeat colligi, ex verbis ipsius legis. *l. non aliter ff. de legat. 3. l. 1. §. is qui nauem. vers. si re dubia ff. de exercit. action.* & prout ea scripta, sint seruanda *l. prospexit ff. qui & à quibus.* In hoc casu est etiam illicitum quærere & dubitare de voluntate GREGORII XIII. relicto sensu propriorum verborum, quem ipse eorundem verborum sonus postulat, conquirendo coactas & adulterinas, & abusiuas interpretationes inuitis ac repugnantibus ipsis verbis, totaque humana Societate reclamante, quæ ad placitum nomina rebus imposuit. Quocirca ad vitandas censuras & pœnas in Gregoriana Constitutione propositas malè tutū perfugium excogitauit EPOPTA.

Ad tertium (quod totum comparatum est ad excusationem Curatoris,) antequam respondeā, duo distinguere habeo in Curatore hoc, Personam & Munus. Personæ integritas, pietas, religio & grauitas adeò vulgò perspecta est; vt ne suspicari quidem potuerim vnquam, eum in hac causa voluisse vel leuissimo se peccato obstringere, itaque hic de Curatoris Persona non agitur. illud a- 255

go, EPOPTAM à munere Curatoris parũ præsidij quæsiuisse suæ argumentationi, quâ conatus est ostendere, eum immunẽ reddere à censuris, quia Curator erat. hoc vt appareat. Respõdeo primò. Si imperator ex *Authen. habita C. ne fil. pro patre.* studiosos eximeret sub pæna bãni imperialis à Iurisdictione, possetne magistratus ciuilis ob suas causas, illud priuilegium impunè impugnare? Quid? potestne magistratus ciuilis ob suas causas, quas prætẽdit, impunè impugnare Clericorum immunitatem, & eis imponere Gabellas, vel imperare capitationem, quin incurrat excommunicationẽ Bullæ cænæ domini? possuntne Episcopi ob suũ interesse exemptorum Religiosorum priuilegia conuellere?

256 Respondeo secundò. non esse satis, quempiam habere necessarias, & iustas causas contẽdendi in Iudicio: nisi etiam in ipsâ Actione vel defensione iustè agat. nam, si tu mihi deneges pecuniã, boni viri fide tibi mutuò datam; nemini dubium est, quin ego habeã necessariã, & iustã causam te vocandi in ius, & hanc litem persequendi. licebitne propterea testes corrũpere? falsa documenta producere? minimè gentiũ. contumeliosè mecũ egisti. ad meum honorẽ conseruandũ, habeo iustã, & necessariã causam, alapam tibi impingendi. Possumne etiam gladio pectus transuerberare? verũ, quid vtor exemplis externis, cum abundẽ domesticis? In Consultatione aduersùs ignotũ mihi Auctorem nullo acerbiore verbo vsus sum: solũ respondens ad ipsius rationes, dixi alicubi, *falsas esse*, & in

& in extremo illo Opusculo, postquam eas refutassem, addidi, iam constare posse, *quã curiosis argumentorum fulcris quidã sustentare conati fuerint causam Caij*: Habuerit EPOPTA (quãdo videtur illud Scriptum agnoscere pro suo) aliquo modo necessariam, & iustam causam reponendi mihi aliquid. (tametsi, vt vidimus, nullã habuerit causam, nec fas illi fuerit Constitutionẽ GREGORII XIII. oppugnare) poterat esse contentus appellasse, vt fecit, *mea Argumenta, & Responsiones falsissimas & imbelles*. Appellauit *absurdas, absurdissimas, frigidissimas, ineptas, plenas ruris, & inficetiarũ: ac nihil sani habentes*. Et quasi parũ excessisset fines *licitæ & inculpatæ tutelæ*, cuius in frõte EPOPSEOS meminit: vocat me quodam loco *Impostorem*, & in Epistola Nuncupatoriâ *tubicinem, qui inflato classico cum dispendio vitæ, hoc est, famæ, & bonorum, id est, sanguinis, aduersus Caiũ pugnas & certamina meditatus fuerim*: & ibidẽ tantũ non me appellat *Magum & Veneficũ, aduersus cuius maleficia debeant huius Ciuitatis Patres Conscripti suæ Authoritatis & gratiæ amuletum eiusdem Caij minorennis collo gratiosè appendere*. Sed redeo in viã. Aio, nõ esse satis, Curatorem Caij habuisse causas necessarias, & iustas defensionis, nisi etiam iustè defenderit. Igitur

Respondeo tertiò. Potuisse Aduersariũ supersedere tot textibus & rationibus afferendis, quibus ostẽdit, Curatori Caij fuisse ~~iustas~~ necessarias defẽsionis causas. Quis enim hoc negauerit? in eo laborasset, oportuit, diligentius, vt probaret, fuisse iustissimas. nam quod ait, habuisse Adstipulatores viros gra- 257

uissimos *Horatium Mandosium, Hieron. Gabrielium, Emm. Rodericum, & Romanũ Hayum*; profectò si errare non affectasset; videre potuisset, illos Doctores, ne verbum quidẽ habere de retẽtione dominij propriorum bonorũ: sed agere tantùm de dominio bonorum Collegij, cuius Scholares Societatis membra sunt. quinam verò sint plures illi Doctores, *non duo tantùm*, quorum responsa, vt EPOPTA testatur, Curatoris & Caij causam tuentur: atque adeò suppeditant iustam litigandi causam; non est difficilè diuinare. cæterùm, cùm illi Doctores, quicũque sint, asseruerint propositionem directò contrariam articulo definito à GREGORIO XIII. & proinde iuxta eiusdem expressam censuram, *falsam omninò ac temerariam*; Curator istorum errorem sequi maluit; dicendus est voluisse laborare ignorantia affectata, quæ nullo modo excusat à dolo, neque ab excommunicatione, vt passim Doctores notant.

Sed faciamus, Curatorem aliquam habuisse causam iustam litigandi; quî dici potest iustè litigasse: cum neruos omnis defensionis suæ in eo collocauerit, vt expressè impugnaret articulum definitum ab Apostolica Sede? non solùn interpretando verba Constitutionum relatarum, *nisi quantum ipsa verba sonant*: sed penitus contra verborum vim? *Defensoris*, inquit, *partes sustinebat Curator*. Quid tũ? potuitne propterea iniustã & interdictam Anathematis pœnâ defensionẽ adornare? at enim ignarus erat Curator Iuriũ Societatis: nihilminus. Recusabat ille rationes reddere administra-

nistratæ curæ, dicens, Testamentũ Titij fuisse per vota cõfirmatũ. Vrgere Procurator Collegij Coloniensis, afferendo Constitutionem Gregorianã, quâ Scolaribus etiam post vota dominiũ permittitur: proferre SACRÆ ROTÆ ROMANÆ Decisionem luculentissimã; producere innumeros Authores idipsum docentes: neminem vnũ esse, qui contrarium scripserit: monere per communes Amicos, & fortè etiam per Magistratus, caueret ab Excõmunicatione latæ sententiæ. Ille obfirmatus in hausto semel errore & affectatâ ignorantiâ, semper contrà tendere, ratus omnia sibi salua esse. quia *Mandosius*, *Gabrielius*, *Rodericus*, *& Hayus*, & quidam alij Auctores, quos non nominat, asserũt, Scholares retinere *dominium* tantũ in cõmuni, vel passiuum contra vim vocis *Dominij* & apertũ verborum sensum. Prudentissimi Iudices videant, an Curator præter necessarias, habuerit iustas causas ita peruertendi sensum Apostolicarum Constitutionum.

Respondeo quartò. Dato Curatorẽ Caij posse 258
ab excommunicatione excusari (non quidẽ ex eo capite, quod Curator est, vt malè ratiocinatur EPOPTA; sed ex eo, quia vt ante dixi, spectata conditione personæ, & antiquâ ipsius probitate bonâ fide egisse videri potest) certè Authorẽ EPOPSEOS & illius Scripti Consultatione refutati, excusari nullo modo posse. quâ enim necessitate adductus Societatis Institutũ tam acriter impugnauit? quas iustas causas prætexere potest? *falsò ac temerè* (vt ait GREGORIVS XIII.) asseruisset, Scholares Societatis

tatis non retinere dominium bonorũ ſuorũ poſt vota ſimplicia: quam pœnã merebitur, cum hanc ipſam Aſſertionem Scripto conſignauerit, typis mandatam publicauerit, ſparſerit in vulgus, atque omni conatu diſtortis & coactis interpretationibus articulum in Societatis Inſtituto & Cõſtitutionibus Gregorianis tam clarè expreſſum impugnare non deſinat?

259 Ad id, quod extremo loco quærebat: cur in Cauſa contra Neriũ, illũ Abbatem ad tribunal excõmunicationis non vocauerim; facilis eſt reſpõſio. D. ille Abbas, vt apparet ex ipſa Deciſione SACRÆ ROTÆ ROMANÆ, modeſtior fuit, quã EPOPTA, à quo miror, eundem dici *priuilegiorũ Societatis acerrimum diſputatorem*. ille enim ſolùm cõtẽdebat, nomine bonorum, quorũ dominiũ poſt vota retineri decernũt Societatis Cõſtitutiones, & Pontificiæ, nõ intelligi beneficia Eccleſiaſtica, aut ſaltẽ non intelligi Penſionẽ, de quâ erat quæſtio; atque hoc erat vnicum fundamentũ Abbatis, nec ſanè infirmũ, vt per ſe patet. Cæterũ Abbatis Procuratores & Aduocati ne verbum quidẽ ſcripſerũt vnquã, quod quoquo modo Societatis Inſtitutũ, aut Pontificiã Conſtitutionẽ vllâ ex parte impugnaret. Reor his paucis EPOPTÆ quæſtioni factum eſſe ſatis. Quocirca ego quoque hic, vt ille facit, *Abrumpo*: Plagarũ ſi quidẽ admẽſum eſt ſatis, ſuperq; nec poterit Iure cõqueri deinceps aduerſarius vnicã Theologorũ quorundã Aſſertionẽ à me fuiſſe prælatã tam prolixæ Iuris vtriuſq; periti EPOPSI, in qua quia præter ingenium nihil laudare poſſum; hoc ipſum non vitupero.

QVINTA

QVINTA PARS

APPENDIX,

Complectens Sententias & Iudicia variorum Tribunalium & Academiarum.

Pro Dominij particularis Retentione.

INDEX

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
QVINTÆ PARTIS.

S. ROM. ROTÆ DECISIO.
ARRESTA SVPREM. PARLAMENT. FRANCIÆ.
LOVANIENSIS
DVACENSIS
INGOLSTADIENSIS
PRAGENSIS
HELMSTADIENSIS
ROSTOCHIENSIS
} ACADEMIÆ IVDICIA.

APPEN-

APPENDIX.

OCcupabit primum locum in his Adiunctis, DECISIO ILLA S. ROM. ROTÆ, cuius crebra fuit mentio in hoc Opusculo: quæ sola debuisset sua Authoritate quemlibet à suscipienda Caij defensione deterrere: alterum dabo duobus *Arrestis*, vt vocant, *Supremorum Parlamentorum Franciæ*, in quæ casu post absolutam lucubrationem incidi; & sunt sanè luculentissima testimonia. In Tertio reponam *Iudicia celeberrimarum Vniuersitatum, atque Academiarum Louaniensis, Duacenæ, Ingolstadiensis, Fragensis, Helmstadianæ, Rostokiensis*, nec non *SS. Theologiæ, & I.V. Doctorum ac Professorum*, quâ librorum monumentis, qua celebritate, famæ, nobilissimorum, quæ in hac causa expetita, & libentissimè ad fulciendam veritatem cõcessa nobis fuerunt. Censui autem edenda: & nõ alio ordine, quàm quoad meas manus peruenere; vt Caius hæc quoque *Iudicia*, & tam illustrium Virorum, & Vniuersitatum Auctoritatem, ac sententiam cum vnius illius Causidici: quid dicam? errore ac leuitate? committat; & sibi ipse gratuletur, quòd tanquam ingenuus Veritati tandem cesserit, & Titium fratrem ad paternam cernendam hæreditatem admiserit, dignus omninò, qui, si pergat de Societate, in cuius sinu educatus fuit,

fuit, benè mereri; admittatur & ipse ad consortium meritorum, atque bonorum operum, quæ per Dei gratiam in vniuersa Societate toto orbe dispersa comparantur ac fiunt; quo genere patrimonij nulla melior, aut opulentior hæreditas, excepta diuina ac cœlesti, homini contingere potest. Porrò, quantum ponderis insit in his tantorum virorum pro Societatis Instituto, suffragijs: nihil attinet dicere. Ipsi se suo, & Tribunalium, atque Academiarum, quas tantopere illustrant, nomine, abundè commendant. Meum ac Sociorum omnium erit, immortalem ijsdem gratiam habere, & optima quęque ab omnium bonorum largitore Deo assiduè precari: quando & ipsorum fortuna, & tenuitas nostra vnam hanc nobis tribuit facultatem.

DECISIO

S. ROTÆ ROMANÆ.

R.P.D. *Martino Andrea.* Nullius, seu Caputaquensis Pensionis Lunæ 18. Aprilis 1616.

Res non noua, sed à Doctoribus non tacta, & in hoc sacro Auditorio nunquam proposita, dedit causam disputationi coram me in specie huiusmodi. Ex facto enim inciderat quod aliàs auctoritate Apostolica fuerat reseruata annua Pensio ducatorum centum, monetæ Neapolitanæ, super fructibus Abbatiæ S. Angeli ad Fossanellam nullius diæc. Prouinciæ Salernitan. ad fauorem

D. Fran-

D.Francisci Neri presbyteri, qui cùm post plurium annorum exactionem Vener. Religionem Societ. IESV ingressus fuisset, ac elapso biennio probationis, in eâ tria vota simplicia emisisset, hinc Abbas prætendebat fuisse extinctam Pensionem. Quod negabat *D.Franciscus*. ideoque causa commissa in Rota, dubitaui: An per emissionem triũ votorum simplicium post biennium probationis, esset extincta Pensio? Et Domini vnanimiter respondendum putarunt.

Quamuis enim adscripti huic Societati, postquam emiserunt tria vota simplicia, verè & propriè sint Religiosi, vt definiuit Sanctæ memoriæ GREGORIVS XIII. in sua Constitutione incipiẽte, *Quanto fructuosius*, sub dato Romæ Kalend. Februarij Anno 1582. & in alia, incipiente *Ascendente Domino*, sub dato octauo Calendas Iunij 1584. & tradunt, *Nauar. de Regular. Comment. 1. num. 19. Mandos. Cons. 13. num. 3. & seq. Eman. Roderic. quæst. Regul. tom. 1. quæst. 1. Art. 4. Carol. Tapi.* in *Auth. ingressi. vers. Monasteria, cap. 10. num. 8. C. de sacros Ecclesijs. Sanchez de matrim. l. 7. disp. 25. n. 15. Garz de benef. qu. 7. cap. 10. n. 35. vers. Et clarius patet*; Nihilominus, secũdùm statuta dictæ Religionis, auctoritate Apostolica confirmata ante solemnem Professionem, possunt retinere beneficia, quæ ante ingressum habebant. Appellatione autem beneficij in hac materia larga, & fauorabili, vt mox dicetur, venit Pensio. *Abb. in c. Ad aud. il. 2. in 1. Notab.* & ibi *Felin. in princ. de rescript. Gig. de pens. quæst. 28. num. 1. & 18. Idem qu. 57. num. 15. in fin. & seq.* Vbi propterea concludit,

cludit, quod sicut per Professionem, vacat beneficium: ita etiam extinguitur Pensio. Et idem tradit *Gabr. cons.* 187. *num.* 11. *lib.* 2. *Nauar. cons.* 11. *num.* 2. *de temp. ordin. Garz.* vbi supra *part.* 1. *cap.* 5. *n.* 114. Ergò si à pari procedunt, *Vacare beneficium & extingui pensionem*, vbi sumus in casu vacationis beneficij, quando econtra non vacat beneficium, vt in casu nostro, per emissionem trium simpliciũ votorum, non dici poterit, extingui pensio. Quia, quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositũ in opposito. *l. etsi contra ff. de vulg. l. vlt. §. fin. ff. de legat.* 3. & vtrobiqúe *Bart.* & *DD.*

Præterea, in vtraque Constitutione GREGORII XIII. scilicet in prima, in vers. *Quod verò ad paupertatem.* & in secunda in vers. *Et licet.* expressè cõceditur, vt qui emiserunt tria vota simplicia, *possint retinere Ius & Dominium bonorum suorum* ad effectum ea distribuendi in pios vsus. Appellatio autem bonorum latissimè patet, vt etiam comprehendat pensiones, saltem vbi viget eadem ratio. Vt fuit dictum *in Conchensis pensionis* 6. *Martij* 1598. *coram Peregrino.* Vbi, quod Rota aliàs hoc habuit pro absoluto, vt vbi, prout hic, concurrit fauor materiæ, ex infra dicend. in vers. *Minus etiam.* Vlterius, Hæc emissio trium votorum simpliciũ, quidquid sit, quoad ipsos emittentes, qui quantũ in eis est, remanent perpetuò obligati, non fit irreuocabiliter quoad ipsam Societatem, Cuius Superior Generalis potest eos semper dimittere cum causa, etiam absque illorum culpa: iuxta Statuta dictæ Religionis, præfatas Constitutiones, &

& Confirmationes Apostolicas: Vnde, vt maiorem Societas haberet libertatem illos, si opus esset, cum minori offensione dimittendi, sapienter fuit prouisum, vt eis liceret retinere bona sua, & beneficia; ne postea dimissi, eis priuati remanerent. Vt in Constitutione dictæ Societatis *part.4. c.4.litera E.in fine.& part.6.c.2.lit.H.* & in *Examine generali c.4.vers. Interrogetur. Et num.5.* & in prima Congregatione Generali *tit.6,decret.61.* Quæ ratio expressè legitur in d. Constitut. Gregoriana, incipiente *Ascendente Domino*, ante med.vers. *Et licet, qui ad gradus Professorum.* Et est eadem, qua motus Bonifacius VIII. *in c.beneficium de reg. in 6.* decreuit, Beneficium ingressi Religionem, intra annum probationis non vacare. Vt in specie animaduertit *Ribadeneyra in tract. Instit. Societatis cap. 18.ante med.vers. y por esta misma causa.* Et ideò *Archid. ibidem num. fin.vers. Ad hoc dicas*, post *Tancred.* & *Barthol.Brixien.* tenet, quod beneficiatus interim facit fructus suos. Quia potest ad sæculum reuerti: sequitur: *Tiraq.de retr.lign.§.1.gloss.8. num. 34.in fin. Sylvest.in ver.Religio 2.num.8. ad med. vers. reliquum verò.Eman.Roderic.* vbi suprà, *tomo 1.quæst. 37.art.1.vers.3.nota.* Quæ ratio militat etiam in pensione.

Et licet ille *text.in d.c.beneficium*, loquatur de ingresso, qui nondum emisit Professionem; attamen eius ratio attendenda est; quia scilicet ille potest ad sæculum redire. Quæ ratio æquè militat in eo, qui emisit dicta tria vota simplicia, atque ita idem Ius debet procedere. *ad text. in l.illud*

ff.ad l. Aquil. & in *c.In causis,de re Iud.* Ratio enim dicitur communis lex ad omnes casus. *Calder.cons. 1.ad med.vers.Nec obstat.de Regular. Aym.cons.* 190.*n.* 2. *Rimin. in cons.*67.*n.*17.*& cons.* 510.*n.* 30. Ideò non est curandum de casuum diuersitate, vbi adest eadem ratio:quia tunc non dicitur fieri extẽsio,sed comprehensio.*Gloss.in cap.verb.* Italiæ,*de temp.ordin.in* 6.*Calderin.cons.*1.*in princ. vt lit.pend. Crauett.Cons.*183.*n.*3.*& d.Cons.*190.*n.*2. *Rim. Iun.d. cons.*67.*n.*17.*& seqq.Put.decis.*55.*n.*3.*vers. Et hoc sine difficultate,lib.*3.& ita in proposito rationem illius textus explicat *Ribadeney.* vbi supra.

Vni etiam ex DD.placebat, quod text.*in d.c. beneficium*,quem extendunt Doct. ad vacationem pensionis, post emissam professionem, minimè applicetur casui nostro: quia loquitur de professione expressa,vel per susceptionem habitus professorum scienter, vt habetur in d. *text.* quem intelligunt Doct.quando ex ipsa susceptione habitus inducitur professio tacita: aliàs secùs. *Io. Andr.in d c.Beneficium.* in verbo. *Professorum.Franc. num.*10.*vers.*3.nota. *Emman.Roderic.quæst. Reg.tom.* 1.*quæst.*37.*art.*1.ante med.vers.*circa quam Constitutionem.* Quæ professio, siue expressa, siue tacita non conuenit huic emissioni trium simplicium votorum.Et ideò benè arguere licet,ab eo, quod nullibi cautum reperitur, quod per eam vacet beneficium;& per consequens,nec dici possit extincta pensio; prout in simili arguit *Archid. in d.c. Beneficium.ad fin.super* ver.*Portione*,vers. *tu qui tenes contra.*& post eum,*Io.Andr.num.* 3. *post med.* vers.

dicit

dicit autem. Archid. num.1.ad fin. verſ. idem *Archid.* & ibi etiam *Dominic. num.* 7. circa med. *in gloſſ. fin.* & *Franc.numer.6.in princ.* Et hanc differentiam inter profeſſionem expreſſam, & hanc ſimplicem emiſſionem votorum ad iſtum effectum agnoſcit *Ludou. Mirand.* in *Manual. Pralat. Regul. quaſt.10.artic.3. ad fin.* verſ. *Quod ſi. Innocentius.* & *Ribad.d.cap.18.ad fin.* verſ. *y repugna.* Quibus optimè conuenit, quòd illi qui emiſerunt d. ſimplicia vota in hac Societate, donec expreſsè in ea profeſſi fuerint, ſemper dicuntur eſſe *in probatione.* vt in *Exam.generali.c.* 4.*num.*17.& in *Conſtit. part.*4. *c.*4 *in declaratione ſub lit.E.in fin. & part.* 5. *cap.* 2. & *part.*10.*num.*17.verſ.*Non enim alij.* & in dicta *Confirmatione Iulij* III. *ad fin.* verſ. *Hæc ſunt.*

Vltimò pro hac parte facit obſeruantia ſubſecuta, & vniuerſalis, atque inconcuſſus vſus dictæ Societatis, in qua tam Nouitij, quàm illi qui emiſerunt dicta ſimplicia vota *retinent Ius & Dominium bonorum ſuorum, non ſolùm temporalium;* ſed etiam in ſpecie retinent beneficia & penſiones. Quæ obſeruantia eſt optima Legum & Conſtitutionum Interpres. *l.ſi de interpretatione,* cum ſeqq. ff. de leg. *Surd.Conſ.*362.*num.*10. *Put. deciſ.* 12. *lib.* 3. de cuius viribus non poteſt dubitari, cum nedum non repugnet dd. Conſtit. Apoſtolicis, verum etiam illis ſit maximè conformis.

Hinc facilè patet Reſponſio ad omnia ex aduerſo deducta pro Abbate. Nam quod ex emiſſione trium votorum dicti Patres Societatis

IESV constituantur veri Regulares non secus, ac alij quorumuis Ordinum regularium professi, iuxta dictam Constitutionem *Greg.* XIII. non impedit, *quin ipsi interim possint retinere Ius & Dominiũ bonorum suorum, donec Superior aliter mandauerit*, vt cauetur expressè in dicta Constitutione, & alijs supra relatis. In quo isti Regulares non sortiuntur naturam aliorum Regularium; sed penitus diuersam. Ita quòd non liceat ab alijs Regularibus ad istos arguere, cùm ex diuersis non fiat illatio. *l. Papinianus exuli ff. de minor. c. dilectus de offic. ordin.* cum alijs per *Euerhardum* in loco à separatis *num.* 1. *&* 2. Et quod his temporibus, & in hac Religione hoc speciale sit, ac diuersum ab alijs Religionibus, in puncto tradunt *Vasquez in* 1. 2. *tomo* 2. *disp* 165. *num.* 104. *in fin. Eman. Roder.* vbi supra *d. art.* 4. *post princip. vers. differt tamen. Leß. de Iustit & Iur. lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 5. *n.* 27. *Molina de Iust. tract* 2. *disput.* 139. *col.* 3. *vers. Illi qui finito. Ludou. Mirand. in Manual. Præl. Reg. qu.* 10. in conclusione & responsione ad primum. *Ribaden. d. c.* 18 *Garz. de benef. part.* 7. *c.* 10. *n.* 62.

Nec obstat, quòd cum di facultas retinendi bona sua, limitetur ad tempus iudicio Generalis: nec illis possint vti sine Superioris licentia. id non destruit præcedens votum paupertatis, quin operetur suos effectus: pro vt idem est de Iure communi, quo inspecto, similis concessio à Prælato facta non repugnat voto paupertatis, *Abb. in c.* 2. *num.* 4. *in* 3. *notab. de stat. Monach. Sylvest. in verbo. Relig.* 6. *num.* 7. *vers. si autem Prælatus.* Rota *decis.* 772. *n.* 2. *& seqq. part.* 1. *& decis.* 216. *num.* 12. *&* 13. *part.* 2. *di-*

uers.

uers. Et in hac Societate *Gabr. cons. 28. num. 3. vers. Neque verò lib. 1.* Vnde, aut istud indultum concessum Societati, retinendi bona propria, est iuri communi conforme: Et sicuti illo attento, nihilominus pensio extinguitur, ita etiam in hoc casu, non obstante indulto, propter passiuam interpretationem à Iure communi; aut continet priuilegium contra Ius, & tanquam exorbitans; cum loquatur de bonis, quæ propriè sunt temporalia, & patrimonialia, non debet extendi ad beneficia, & pensiones, quæ sunt Ecclesiastica & spiritualia.

Quia Respondetur, quod licet alij Regulares possint de licentia Prælati habere administrationem temporalem, & vsum quorundam bonorum, non tamen possunt habere dominium, & proprietatem. *ca. Cùm ad Monasterium*, in fin. ibi. *Nec æstimet Abbas, quod super habendâ proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare.* de statu *Monach. c. non dicatis.* vbi *Præpos. num. 12. in 1. co. 12. quæst. 1. Calderin. cons. 2. in princ. vers. Et ratio. de Regul. Carol. Tap.* vbi supra in verbo, *Ipso ingressu. cap. 3. num. 35. Iacob. de Graff. decis. aur part. 2. lib. 3. cap. 18. num. 23.* & ideò *in cap. 2. de statu Monach. Butr. num. 10. Abb. num. 4.* & communiter Doct. notant, quòd Abbas non potest dispensare cum Monacho, vt teneat peculium vt proprium, sed quo ad administrationem. Et idem in pensione tradunt *Panorm. in c. nisi essent. numer. 12. de præbend. Carol. Tap.* vbi supra *numer. 43. Iacob. de Graff. d. c. 18.* supra *numer. 47.* & in specie in hoc differre istos Regulares Societa-

cietatis ab alijs Regularibus, quod isti, qui emiserunt tria vota, *possunt ad tempus, arbitrio Superioris retinere dominium bonorum, sed sine vsu & administratione*, cæteri verò possunt tenere administrationem, & vsum, non tamen dominium, tradit *Emmanuel Roderic.* vbi supra *d. quæst. 1. art. 4. post princ. vers. differt tamen.* Negari igitur non potest, quin illa facultas retinendi ius & dominium bonorum suorum in persona Regulari, attento iure communi, quodammodo afficiat, & limitet Votum paupertatis, etiamsi de illis non possit ad libitum disponere, & sit etiam parata, arbitrio Superioris, illud dominium à se abdicare, Lessius vbi supra *cap. 41. dub. 8. num. 70. ad med. vers. Nihilominus. & num. 71. vers. secunda est.*

Vnde necessaria fuit Authoritas Romani Pontificis, qui ex causa potest super huiusmodi voto paupertatis cum Monacho, etiam remanente Monacho, dispensare, vt post *Innoc. in d. c. Cum ad monasterium, num. 2.* est communis opinio Canonistarum ibi, *& in d. cap. Non dicatis.* vbi *Præposit. num. 12. in 1. conclus. & num. 13.* dicit communem, pro vt *Nauar. ibidem in Comment. 2. de Reg. numer. 17.* fatetur communem, licet ab ea discedat. *Couarr. in 2. num. 10. & seqq. de testament. Gregor. Lop. in l. 2.* verbo *Non pue de. tit. 6. part. 1. Garz. de benef. part. 7. cap. 10. num. 6. & 91. Emmanuel Roderic. vbi supra in vers. cui obiectioni. Vasquez contro. Illus. cap. 102.* Qui omnes ita respondent, *text. in d. cap. Cum ad monasterium in fin.* vbi dicitur, *Quod abdicatio proprietatis, sicuti & custodia castitatis,*

tatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere, vt scilicet intelligatur sine causa, non autem cum causa, pro vt in casu nostro. Et ratio est, quia voto Paupertatis & illius substantiæ, non tam repugnat dominium, quam vsus; & sola Ecclesiæ Constitutione Monachus est incapax dominij. Quo fit, vt Papa, qui est supra Ius, & Ecclesiæ Constitutionem, rectè possit illum facere habilem & capacem dominij, etiam manentem Monachum, modò quo ad vsum, religiosam paupertatem seruet; & sit paratus, arbitrio Superioris quandocunque dimittere. Vt in puncto declarat *Vasquez. in l. 2. tom. 2. disp. 165. cap. 6. per tot. Leßius de Iust. & Iure lib. 2. cap. 4. dub. 5. n. 27. vers. vbi notandum. Ludou. Mirand. in Manual. Prælat. Regular. quæst. 10. art. 3. in concl.* & respons. ad 1. *Ribadeneyr.* latissimè *d. c. 18. Couarr. d. c. 2. num. 12. Garz.* qui alios refert, vbi supra *num. 64. & 87.*

Minus etiam obstat, quod Societatis Constitutiones non loquantur de pensionibus, sed de bonis temporalibus, & de beneficijs: vnde non sunt extendendæ ad pensiones. Quia in dispensationibus non valet argumentum ab identitate, vel maioritate rationis: hoc enim procedit in dispensationibus particularibus, & odiosis, secus verò in generalibus & fauorabilibus: Vt in casu nostro; in quo agitur de fauore Religionis, & per viam legis proceditur. *Barbos. in lib. 1. part. 1. numer. 19. & 20. ff. solut. matrim. Sanchez de Matrim. lib. 8. disputat. 1. num. 8. 33. & 36. Eman. Roderic.*

quæst. Regularium tomo 1. quæst. 11. art. 9. ad fin. vers. Nec his obstat. Vnde cum simus in materia larga, & fauorabili, appellatione beneficij venit pensio, ex supra deductis in princ. Et etiam comprehenditur appellatione bonorum vti quid temporale & profanum ab ipso beneficio Ecclesiastico diuersum. *Gig. de pens. quæst. 1. num. 1. Cæs. de Garz. decis. 3. numer. 8. de præbend.* Rota *decis. 425. num. 2. part. 1. diuers.* Et obiectum similiter non procedit, quando dispensatio habet expressam causam, vel rationem: quæ militat etiam in casu expresso: tunc enim benè admittitur extensio *Abb. in cap. At si clericum §. de adulteriis num. 8. vers. Posset tamen. de Iudic. Rip. in cap. Ad aures. num. 41. limit. 1. de rescript.* Sanchez *d. disp. 1. num. 34.* cum adductis supra in vers. *Et licet.* Ratio autem expressa in dicta Constitutione *Greg.* XIII. est: vt maiorem Societas habeat libertatem eos, qui emiserunt huiusmodi tria vota, cum minori offensione, dimittendi. Quæ ratio tam militat in pensionibus, quàm in beneficijs, & bonis temporalibus. Et ita conclusum, pensionem non esse extinctam.

Ex Ioannis Paponii IC. Galli, *Arrestorum in Franciæ Parlamentis Supremis. lib.* XXI. *titul.* VIII. *in Append. n. 2.*

QVæritur, vtrum *Iesuitæ* Cognatis suis succedant: an verò Societatem *Iesuitarum* ingressi, omnibus successionibus priuentur: vtpotè qui tria vota præstiterunt, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ.

Ad

Ad Decisionem huius Quæstionis, notandum ac considerandum est, tria Professionum genera eos facere; priorum duorum generum Professiones simplices sunt, quæ eos successionis incapaces non reddunt, quantumuis quadraginta annis in prædicta Societate permanserint, & Presbyteri, Confessores, & Prædicatores facti fuerint; sed tertij generis Professio, quæ expressè, publicè, ac solemniter, in præsentia omnium Patrum Collegij, & in Capitulo generali fieri debet. Ita iudicatum fuit pro Francisco Robillardo Iesuitâ, aduersus Fratres ipsius, & Sorores, pro successione Nicolai Robillardi Patrui ipsius 17. Octob. 1585. in 1. Camera Inquisitionum.

Et pro P. *Bernardino Castorio Rectore Collegij Lugdunensis* appellati, aduersus *Wilhelmum Imperatorem* appellantem à *Seneschallo Lugdunensi*, pro successione *Antonij Gangei*, cuius P. *Ioannes Gangeus* Frater ipsius *Iesuita* ante 40. annos successionem obtinuit Arresto. 23. Decemb. 1592. in 3. Camera Inquisitionum Dn. Coignæsio relatore I.C.

Iudicium Admodum Reuerendorum, Eximiorum SS. Theol. Doctorum ac Professorum DVACENSIVM, *De Assertione à* R.P. Valentino *in sua Consultatione demonstrata.*

NOs infrascripti in Almâ Vniuersitate Duacensi SS. Theologię Professores *Facti Specie, Statu Controuersiæ, & Assertione* cum subiunctis probationibus maturè consideratis & discussis,

in eandem Assertionem consentimus, scilicet, *Titium vi Voti Paupertatis emissi in Societate post biennium, non fuisse priuatum bonorum suorum Dominio, neque illud transmisisse in Caium, nec confirmasse testamentum conditum ante ingressum: nec illud fecisse irreuocabile, ac proinde de Superiorum licentia & validè, & licitè, de suis bonis iterum disponere, etiam per viam testamenti potuisse.* Quoniam Vota simplicia neque ex sua natura, neque ex Iure aliquo positiuo talia sunt; vt post biennium Probationis facta in Societate, Vouentem priuent bonorum suorum dominio: quemadmodum ex Iure communi, & ex Statutis Societatis clarum est, & deducit rectè R.P. *Valentinus Mangionius in suâ Consultatione* nobis exhibita; ita deliberauimus, & resoluimus Duaci anno 1637. die 14. Augusti.

GEORGIVS GOLVENERIVS SS. Theologiæ Doctor, & eiusdem Regius, Ordinariusque Professor.

FRANCISCVS SYLVIVS SS. Theologiæ Doctor, & eiusdem Regius Ordinariusque Professor.

THEODORVS VAN COVVERDEN SS. Theologiæ Doctor, & eiusdem Regius Ordinarius Professor.

VALENTINVS RANDOVR SS. Theologiæ Doctor, eiusdemque Regius, ac Ordinarius Professor.

NICOLAVS LE LONG SS. Theologiæ Doctor, & eiusdem Regius Professor.

CA-

CASVS.

Fusè in Consultatione tractatus paucis comprehensus, & ad aliquot Vniuersitates vna cum ipsâ Consultatione transmissus.

TItius condidit testamentum in fauorem fratris sui; ingressus est deinde Societatē IESV, & in ea post bienniū Probationis fecit Vota simplicia Scholasticorum. Quæritur, an per Vota illa prædictum testamentum confirmatum sit, & factum immutabile. An verò Titius post Vota illa de bonis suis possit disponere, siue donatione inter viuos, siue testamento, reuocato, & cassato testamento ante facto.

Rationes dubitandi.

VIderi possit, testamentum vi Voti simplicis Paupertatis confirmatum, & Titium non posse illud mutare.

I. Quia exciderit dominio & potestate de suis bonis disponendi. nam per Vota illa factus est verè Religiosus, non aliter, quàm Professi eiusdem vel alterius Ordinis; atqui illi per Professionem ciuiliter moriuntur & fiunt incapaces proprietatis & potestatis ad disponendum de bonis temporalibus; ergò & Titius per Vota simplicia, quæ faciunt eum pariter Religiosum sicut Professio.

II. Si

II. Si quod Dominium retinuisse videatur, hoc tantum intelligi debere videatur, de passiuâ quadam capacitate recipiendi bona sua casu dimissionis.

Decisio casus facta à Proponente.

SEd contra. Retinet Titius dominium bonorum suorum, & proprietatem, potestque cum approbatione Superioris sui, de ijs pro deuotione sua, & voluntate disponere. Quia Votum Paupertatis post biennium probationis emissum, intelligi debet iuxta Societatis IESV Constitutiones; vt clarè dicitur in Formulâ Vouendi. Atqui illud nõ excludit verum dominium, & ius, ac potestatem de bonis disponendi: sed tantùm vsum illius Dominij, ac Potestatis sine scitu & Superioris consensu. ergo, &c.

Id constat 1. Ex Constitutionibus Societatis IESV, quæ *p.4.c.4.* alijsque locis, dicunt, *vt quamuis Paupertatis Votum sit emissum; bona tamen temporalia haberi possint ad certum vsque tempus, quoad Superiori videbitur intra Probationis spatium, siue ante Professionem, aut Vota publica Coadiutorum.*

Constat 2. Ex Constitutionibus GREGORII XIII. qui extrauag. *Quantò Fructuosius.* Sic habet: *Quod verò ad paupertatem attinet, quamuis bonorum suorum Ius, & dominium iustas ob causas pro Superiorum arbitratu ad tempus retinere valeant; vt in pios vsus iuxta Euangelicum Consilium distribuant; in illorum tamen vsu Religiosam Paupertatem seruant, nec vllâ re tanquam*

quam propria & sine Superioris facultate vti possunt. & Extrauag. *Ascendente Domino. Licet*, inquit, *qui ad gradus Professorum, & Coadiutorum Formatorum nondum peruenerunt, bonorum suorum Ius atque Dominium, tum alias iustas ob causas; tum etiam vt maiorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, cum minore offensione dimittendi, ad tempus Generalis Præpositi iudicio præscribendum valeant retinere: vt in Pauperes tandem, vel alios pios vsus pro ipsorum deuotione distribuant; Interim tamen, quoad eorum vsum, Religiosam Paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria, & sine Superioris facultate vti possunt.*

Constat 3. Ex quotidiano vniuersali, & inconcusso vsu, qui est optimus legum Interpres. Vix enim in Societate vlli, nisi post Vota illa simplicia, de bonis suis, siue inter viuos, siue Testamento disponunt.

Constat 4. Quia ita in omnibus Tribunalibus decidi solet, & nominatim in ROTA ROMANA decisum, vt habetur apud *Farinacium in Opere Posthumo decisionum* ROTÆ ROM. *part.* 2. *decis.* 246.

Ad Argumenta in contrarium Respondeo.

AD primum. Nego Assumptum, & ad probationem, nego Consequentiam. quia Status Religiosus non importat vi sua eiusmodi incapacitatem, & Priuationem Iuris: sed Vota solemnia sola Constitutione Ecclesiastica vim illam habent, vt multis deducit *Basilius Pontius de matrim.*

lib.

lib.7.c.7.& Suar.tom.3. de Relig. lib.2.c. 14. Alijque plurimi, qui ab ijs citantur: de quo aiunt, iam post GREGORII XIII. Constitutionem, *Ascendente Domino.* non posse *sine errore* dubitari. Sed Vota Titij sunt simplicia, & de ijs, etsi Religiosum faciant; Ecclesia aliter statuit, vt patet suprà: & non priuant Iure, & Dominio bonorum, sed vsu tantùm libero, & potestate disponendi sine scitu & consensu Superioris. ergo, &c.

Ad secundum Nego assumptum. quia pugnat cum Constitutionibus Societatis, Ecclesiæ, & vsu recepto, ac vi vocis *Dominij.*

Quare liquidò sequitur, Titium post Vota simplicia in Societate edita post biennium Probationis, antequam admittatur ad Professionem, aut Vota publica Coadiutorum formatorum, posse de consensu, & approbatione suorum Superiorum disponere de bonis suis, siue transactione, vel donatione inter viuos, siue Testamento: & prius testamentum, vi Voti simplicis Paupertatis, iuxta Societatis Constitutiones, non fuisse confirmatum, aut factum immutabile. quia mansit apud Testatorem capacitas retinendi illa bona, & Ius ac potestas de illis cum consensu Superioris disponendi. Scholares enim Societatis non sortiuntur naturam aliorum Regularium, sed penitus diuersam, quoad scilicet bonorum suorum Dominium particulare retinendum.

Iudi-

Iudicium admodum Reuerendorum, Eximiorum, & Clarißimorum SS. Theol. & V. I. Doctorum, ac Professorum Louaniensium.

VEra & rectè fundata est præcedens definitio, quæ Titio mutandi Testamēti, ac aliter de rebus suis, cum Superiorum consensu disponendi, potestatem facit: etiam tum, quando post emissionem Vororum simplicium Scholasticorum in corpus venerandæ istius Societatis cooptatus fuit. Cùm enim præcitatis Pontificum Constitutionibus, quibus eiusdem Societatis Institutum hac in parte potissimum comprobatur, disertè cautum habeatur, ob iustas causas circa eos, qui exacto Nouitiatus biennio per eiusmodi simplicium Vororum emissionem in eam recipiuntur, admissum fuisse, vt quamuis verè & propriè Religiosi fiant; bonorum nihilominus suorum Ius & Dominium, quantumuis ad arbitrium Superiorum restrictum, sibi retineant (quam porrò institutionem, nec à communibus Iuris regulis prorsus esse alienam, & cum Paupertatis Voto stare posse eleganter ostendit dicta DECISIO *Rotal. ex Farinacio* adducta) nulla sanè ratio est, cur idem Titius Testamentum prius mutare; ac de bonis, quorum iuxta dictas Constitutiones Ius, & dominium retinet, quamdiu in Scholarium gradu subsistit, nec ad professionem per Vota solemnia, nec ad gradum Coadiu-

torum

torum formatorum per Vota simplicia publicè emissa fuerit admissus, de Superiorum consensu aliter disponere minimè possit, *Arg. l. 4. ff. de adimend. legat.* maximè quando vsu iam receptissimo id quoque confirmari videamus. Quapropter huic definitioni lubentes subscribimus

GVILHELMVS MERCERVS SS. Th. Doct. & Profess. Regius Eccles. B. Petri Louanij Decanus.

IOANNES WIGGERS SS. Theol Doct. & Professor Louanij.

HENRICVS KAMPEN SS. Theol. Doct. & Professor.

CHRISTIANVS BEVSECVM SS. Theol. Doct. & Professor Regius Louanij.

LIB. FROMONDVS SS. Th. Doctor & Professor Regius.

IACOBVS SANTVOERT V. I. Doctor & Pontificij in Academiâ Louaniensi Professor Primarius.

MICHAEL VAN DEN PERRE I. V. Doctor & Profess. Ordinarius Iuris Pontificij.

A. PEREZ I. V. Doctor & Professor Ordinarius.

PET. STOCKMANS I. V. Doctor & Professor Regius.

HENRICVS VAN DEN TRETT I. V. Doctor & Professor.

DE EODEM CASV

Iudicium Admodum Reuerendorum, Eximiorum & Clarissimorum Doctorum, ac Professorum SS. Theol. & I. V. in Almâ vniuersitate Duacensi.

ISto casu & Quæsito inde formato diligenter ac maturè examinatis infrascripti respondent, Testamentum à Titio priusquam Societatem

IESV

IESV ingrederetur, conditum, non fuisse confirmatum, neque immutabile factum per Vota simplicia Scholasticorum, quæ post biennium probationis in ea Societate emisit, sed potuisse post illa Vota de bonis suis disponere, siue donatione inter viuos, siue testamento reuocando, & cassando testamentum antea factum; quemadmodum benè probant rationes, quæ in scripto hic præmisso deducuntur. & cõfirmatur: Vota Simplicia in Societate post biennium probationis emissa antequam aliquis admittatur ad Professionem, aut ad Vota publica Coadiutorum formatorum, etsi sic Vouentem faciant verè Religiosum; neque tamen ex natura sua, neque ex vlla lege positiuâ priuant eum Iure ac dominio suorum bonorum: ergò nihil obstat, quo minus de Superiorum suorum consensu possit de illis disponere, siue donatione inter viuos, siue aliter. nam quod de testamento prius condito posset opponi, facilè diluitur ex eo, quod qui bonorum suorum Ius ac Dominium retinet, testamentum antea factum reuocare possit, quamdiu retinet eiusmodi dominium. Antecedens clarum est, tum quod nulli Doctores Orthodoxi eam vim tribuant naturæ Votorum simplicium; tum, quòd Pontifex GREGORIVS XIII. in Bullis. *Quantò fructuosius.* & *Ascendente Domino.* disertè pronunciet, eos qui in Societate ad gradus Professorum, & Coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, tametsi biennio Probationis expleto tria simplicia Vota emiserint, bonorum suorum Ius atque dominium, ad

tempus Generalis Præpositi iudicio præscribendum, posse retinere. quod perspicuè falsum foret; si prædicta Vota simplicia, ea Vouentem priuarent ex natura sua Iure, & dominio suorum bonorum. Quod verò neque ex vlla lege positiua priuent, partim ex prædictis Bullis liquet, quæ (vt dictum est) Ius & dominium, ad tempus concedunt; partim ex eo, quòd nulla potest lex, vel Cõsuetudo vim legis habens produci, quæ hoc significet; cùm potius & Societatis Constitutiones, & continua praxis, & ROTÆ ROMANÆ Decisio apertè sint in contrarium. Quapropter resolutioni iam dictæ, & in scripto superius mentionato, probatæ; omninò inhærendum dicimus; adeò, vt *non absque magna temeritate grauiumq; censurarum periculo*, aliter resolui posse videamus. Præcipit enim dictus GREGORIVS in Bulla *Ascendente Domino*, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub pœnis Excommunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia sæcularia, & quorumuis Ordinum Regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, ne quis cuiuscunque status, gradus, & præeminentiæ existat, dictæ Societatis Institutum, Constitutiones, aut quemuis earum, vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supradicta concernens, (quale profectò est, omnes eos qui biennio Probationis elapso simplicia Scholasticorum Vota emittunt, sed ad gradus Professorum, vel Coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum suorum Ius, & dominium retinere) quo-

uis

uis disputandi, vel etiam Veritatis indagandæ quæsito colore, directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat. Ita deliberatum, & resolutum die XVI. Septembris. Anni 1637. Duaci.

GEORGIVS COLVENERIVS SS. Th. Doctor & eiusdem Regius, Ordinariusque Professor.

FRANCISCVS SYLVIVS SS. Th. Doct. & eiusdē Regius Ordinariusq; Professor in vniuersitate Duacensi.

THEODORVS VAN COVVERDEN SS. Th. Doct. eiusdemque in alma Vniuersitate Duacenâ, Regius & Ordinarius Professor.

NICOLAVS LE LONGE SS. Th. Doctor, Regiusque Professor.

VALENTINVS RANDOVR SS. Theol. Doctor, eiusdemque Regius, & Ordinarius Professor in Vniuersitate Duacena.

IOANNES FERRARIVS I. V. D & in Vniuersitate Duacensi Regius Canum Professor primarius.

EPO BOETIVS I. V. D. & Ciuilis seu Legum Regius, Ordinarius, Primariusque Professor.

SIMON NEPVEV I. V. D. ac Professor Ordinarius.

G. DE SPIRA I. V. D. atque Professor Ordinarius.

M. PINCHON I. V. D. ac Professor Ordinarius.

Iudicium Facultatis Theologicæ in Alma Vniuersitate Ingolstadensi de eodem casu breuius proposito.

CASVS.

TItius antequam ingrederetur Societatem

IESV fecit testamentum, & instituit hæredem Caium fratrem suum: elapso Nouitiatus biennio fecit sua Vota simplicia iuxta Consuetudinem & Statuta Societatis. Quæstio est? An post hæc Vota emissa prius testamentum potuerit cassare, & de nouo disponere?

NOs Decanus Facultatis Theologicæ & reliqui Professores eiusdem Facultatis respondemus, non obstantibus testamento prius facto, & Votis elapso biennio post ingressum in Nouitiatum emissis, quodque per ea verè ac propriè factus sit Religiosus; Titium nihilominus potuisse retinere dominium rerum, quas habuit ante ingressum: neque illud de facto per testamenti factionem amisisse, & consequenter, ac conuenienter Constitutioni Gregorianæ, quæ incipit *Ascendente Domino. §. & licet. & l. quod si iterum 4. ff. de adimend. vel transferend. legat.* ac Constitutionibus ipsius Societatis, illum cum Superiorum suorum iudicio, pro sua deuotione, iuxta Euangelicum consilium, & propriam promissionem, quam in initio Nouitiatus fecit, ad pios vsus eadem bona sua aliter quàm ante ingressum fecerat, distribuere, aut quomodolibet de ijs disponere potuisse, & quoniam aliqui huiusmodi factum argumentis quibusdam dictam Constitutionem Gregorianam manifestè & directè, alijs verò indirectè impugnantibus improbare, & euertere conati sunt; *existimamus eos* (nisi ignorantia excusentur) *excommunicationem latæ sententiæ & pœnam*

inha-

inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia sæcularia, & quorumuis ordinum Regularia in citata Constitutione Gregoriana §. præcipimus igitur, contentas: & quarum absolutio ad solum Papam spectat, eo ipso absque alia declaratione, incurrisse.

Et ita Nos supradicti Decanus & Doctores Facultatis Theologicæ Academiæ Ingolstadiensis in Conscientia ad propositam Quæstionem respondendum censemus, saluo tamen melius sentientium iudicio.

In fidem sigillum Facultatis nostræ appendi, & manu Notarij Vniuersitatis subscribi fecimus. Actum Ingolstadij in Senatu nostro. 1. die Octobris. Anno Domini 1637.

Et ego Tobias Claner Publ. & supradictæ Vniuersitatis Iuratus Notarius, ex iussu Dominorum Decani, & Dominorum prælibati Collegij Theologici in omnium & singulorum præmissorum maiorem fidem eiusdem sigillum subimpressi, & manu propria subscripsi. manu propria.

Locus Sigilli.

Iudicium Iuris vtriusq; Facultatis in Alma vniuersitate Pragensi.

CASVS.

TItius post conditum testamentum, in quo Caium hæredem instituit, Societatem IESV ingressus est, & post Vota, quæ prima & simplicia vocant, in eadem Societate emissa, ante Professionem tamen, priores tabulas reuocauit, & disposuit de sua substantia in fauorem causæ piæ. Caius dispositionem hanc posteriorem impugnat, negatque Religioso fas esse, vltimam voluntatem ante ingressum factam reuocare. Quæritur quid Iuris?

RESPONSIO.

REspondemus, potuisse reuocare, si Superior ad id faciendum consensum dederit, probatur. quia Societatis Institutum in hac parte diuersum est ab aliorũ Ordinum Institutis. In alijs enim absoluto Probationis anno Professionem emittunt, per quam redduntur Dominij incapaces. In Societate verò Vota simplicia, quæ verum & propriè dictũ Religiosum constituunt; Religioso tamẽ relinquunt Ius & dominium bonorũ suorũ, administratione tantum & vsu impedito, sine consensu Superiorum, vt definit GREGORIVS XIII. in Bulla *Ascendente Domino*. quam refert

fert *Petrus Matthæus* in Pontificum Romanorum Constitut. Cùm ergò retineant Ius & verum dominium bonorum suorum; si administratio libera à Superioribus permittatur; possunt tanquam veri domini de bonis disponere, siue inter viuos, siue per vltimam voluntatem. Cùm verò vltima voluntas sit vsque ad mortem ambulatoria; possunt omni Iure eam reuocare; & videmus quotidianam illam esse praxin Religiosorum istius Ordinis, vt omni tempore ante solemnem Professionem de suis bonis disponant in vsus pios præsertim, & ex causa in profanos, nemine contradicente. Quam rem pluribus confirmaremus, nisi esset notissima. Nec scimus, quo fundamento reuocatio testamenti ijs negetur, quibus confectio Iure conceditur. Ita quidem Iuris vtriusque facultas in hac Vniuersitate Pragensi sensit. In cuius rei testimonium eiusdem Facultatis Decanus nomen subscripsit, & Sigillum appressit. Pragæ 7. Nouembris.

RVDOLPH. DODONEVS
I. V. D. Profess. Facult.
Iurid. Decanus.

Locus Sigilli.

Iudicium Facultatis Iuridicæ in Almâ Vniuersitate Ingolstadiensi.

CVm non ita pridem Nobis Decano, cæterisque Doctoribus, & Professoribus Iuridicæ Facultatis in Alma & Catholica Vniuersitate Ingolstadiensi quædam Consultatio; quam de Voto simplici Paupertatis in Religione Societatis IESV peracto Nouitiatu emitti solito admodum *Reuerendus Pater Valentinus Mangionius* eiusdé Societatis Theologus magno iudicio, & accurata diligentia conscripsit, propterea exhibita sit; vt eam, si ita videretur, nostro quoque calculo approbaremus: ideoq; prædictam Consultationem iterum, iterumq; non modo perlegimus diligenter; verumetiam totam causam seriò examinauimus: tandem verò concordibus votis & suffragijs in eam cum Amplissimo Domino Consultore descendimus Opinionem: quòd voto Paupertatis simplici in Religione Societatis emitti solito, nequidquam obstante; Religiosi nihilominus retineant dominium bonorum suorum: quamuis ijs vti & frui nequeant, nisi dependenter à suis Superioribus; vnde consequens est, Titium potuisse testamentũ prius conditum reuocare, suaq; bona in alios transferre, etiam per viam testamenti. Ita enim expressè cautum est varijs Societatis Cõstitutionibus & Decretis, quæ GREGORIVS XIII. Summus Põtifex nõ modò approbauit, & Auctoritate Apostol. confirmauit; verùm etiã sub pœnâ

Excom-

Excommunicationis prohibuit, ne quis deinceps prædictæ Societatis Institutum eiusdemque Cõstitutiones; & Decreta quouis quæsito colore impugnare, vel etiam in dubium vocare præsumat, vt proinde *nimis temerarium sit asserere* per votum Paupertatis simplex, quod in Religione Societatis emitti consueuit, verum dominium amitti, neque id saluâ Paupertate Euangelicâ citra vsum independentem à Religioso posse retineri. Quãuis enim in cæteris ferè omnibus Religionibus vota peracto Nouitiatu emitti solita sint solẽnia, adeoque Religiosi vi eiusmodi votorum, non modò vsum, verùm etiam dominium rerum suarum à se penitus debeant abdicare: in Religione tamen Societatis, iuxta eiusdem Institutum, & S. Pontificis indultum, res longè aliter se habet: *in qua* S. IGNATIVS *diuino instinctu* (verba sunt GREGORII S. Pontificis) *ita dixit esse disponendum, vt biennio Nouitiatus absoluto omnes, qui in Societate perseuerare voluerint, tria Vota Substantialia quidem Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ simplicia tamen, emittere debeant, ac Nouitij esse desinant*: & paucis intermissis S. Pontifex ita loquitur. *Quod verò ad paupertatem attinet; quamuis bonorum suorum Ius, atque dominium iustas ob causas pro Superiorum arbitratu ad tempus retinere valeant; vt in pios vsus iuxta Euangelicũ consilium distribuant; in illorum tamen vsu religiosam Paupertatem seruant, nec vllâ re tanquam propriâ sine Superioris facultate vti possunt.*

Et hæc omnia in alia eiusdem GREGORII XIII. Bulla, quæ incipit: *Ascendente Domino. data*

8. *Calend Iun. anno* 1584. expressissimis verbis repetuntur.

Voluit itaque S. IGNATIVS annuente S. Pontifice, vt qui simplicia vota fecerunt, & necdum peruenerunt ad gradus Professorum, vel Coadiutorum formatorum, retineant dominium bonorum suorum, de ijsque, quando Superiori videbitur, pro suo arbitrio valeant in pios vsus disponere. Et sanè si iuxta aliquorum Interpretum opinionem, etiam Religiosi Professi possunt testamenta prius condita, post Professionem, maximè in fauorem suorum Monasteriorum, reuocare, prout videre est apud *Hieron. Caual. pract. qu. tom. 3. qu.* 806. Præterea cũ in eo ferè omnes cõsentiant, quòd Summus Pontifex etiam Monacho professo, accedente Prælati seu Superioris consensu, concedere queat Ius testandi de ijs bonis, quæ prius per Professionem Monasterio quæsita sunt, quemadmodum fusè docet *Did. Couar. de testam. c.* 2. *n.* 10. *& sequent.* non videmus, cur Summus Pontifex Institutum Societatis, quod diuino instinctu ortum suum habuisse confitetur, non potuerit confirmare & Auctoritate Apostolica statuere, vt Religiosi supradictæ Societatis, posteaquam simplex Paupertatis votum emiserunt, nihilominus retineant Ius & dominiũ bonorum suorum: ac proinde de ijs valeant disponere, vel in fauorem ipsius Societatis, vel in alios pios vsus, prout ijs videbitur, impetratâ tamen prius facultate à Superioribus, penes quos est tempus certum designare, quo simplici Paupertatis

pertatis voto obstricti necessè habent non modò vsu, verùm etiam rerum suarum dominio se abdicare. Quod enim abdicatio dominij voto Paupertatis annexa sit, tantummodò ex Institutione Ecclesiæ, & consequenter Summus Pontifex dispensare possit; nulla est apud prudentes controuersia, ita vt nobis *Sacrilegus esse videatur*, qui hac in re de Sum. Pontificis potestate audeat disputare. *Arg. text. in l. 2. C. de crim. Sacrileg.*

Equidem Aduersarij distinguunt inter *dominium actiuum, & passiuum.* prætereà inter *dominium in communi & particulare.* verùm *hanc distinctionem fictitiam* & Doctoribus incognitam esse: prætereà Constitutiones Societatis, & Pontificis, confirmationes de Dominio Actiuo & particulari intelligendas esse, Admodum Reuerendus & Amplissimus P. Mangionius ita clarè ostendit; vt ipsius elaboratissimæ Consultationi nihil existimauerimus esse superaddendum.

Tandem ex facti specie Constitutioni insertâ deprehendimus, sententiam latam esse pro Collegio Coloniensi, à qua si hactenus intra tempora legitima non fuerit appellatum; transibit illa procul dubio in rem iudicatam. Est autem rei iudicatæ in foro externo tanta Auctoritas; vt nullo modo, ne quidem Principis rescripto, valeat irritari. Proinde si Aduersarij prælibato inclyto Coloniensi Collegio denuò super hac re litem intēderent, communi omnium nostrum voto & suffragio non modò spem obtinendi nullam haberent; verùm etiam tanquam temerarij litigatores,

in

in omnes litis expensas forent condemnandi. Saluo tamen melius sentientium iudicio. In fidem Facultatis nostræ maius sigillum subimprimi curauimus. Ingolstadij prid. Calend. Decembris anno M.DC.XXXVII.

Locus Sigilli.

Iudicia duarum Academiarum Acatholicarum, quibus idem Casus propositus fuit, mutatis nominibus Societatis Iesu in Ordinis Religiosi, & Ignatij in Fundatoris.

I. *Facultatis Iuridica in Alma Academiâ* Iulia.

PRæsentem hunc casum cum rationibus in vtramque partem adductis collegialiter perlegimus, & post diligentem considerationem, statuimus, Titium Scholarem per præstationem voti simplicis, testandi facultatem non amisisse: sed ipsi licere prius factum testamentum reuocare, & de bonis suis, quorum dominium retinuit, pro libero, quod iterum non redit, arbitrio aliter disponere. Saluo tamen aliorum iudicio. In fidem sigillum Facultatis nostræ apponi curauimus. Helmstadij 7. Nou. 1637.

Decanus, Senior, & reliqui Doctores Iuridicæ Facultatis in Academia Iulia.
Locus Sigilli.

Quo ,,

II. *Facultatis Iuridicæ in Alma & antiqua Academia* Rostochiensi.

QVoniam ad præmissam & deductam Facti speciem super quæstione ei insertâ, nostrum suffragium fuit requisitum &c. præuia eius diligenti inspectione & lectione, Nos Decanus, Senior & reliqui Iuridicæ Facultatis in Academia Rostochiensi Assessores, Iuri consonum esse pronunciamus, si Superior eum, de cuius testamento quæstio est, iuxta allegatam Bullam, nondum iussit abdicare bona sua, testamentum ante Ingressum conditum, ab eodem reuocari, & de bonis suis aliter disponi posse arbitramur. In cuius rei fidem sigillum Facultatis apponi iussimus. Actum in Collegio nostro 16. Feb. anno 1638.

Decanus, Senior & cæteri Doctores Iuridicæ Facultatis in Academia Rostochiensi.

Coll. S. J. Paderb. 1661.

Locus Sigilli.

INDEX

INDEX RERVM PRAECIPVARVM HOC OPVSCVLO QVINQVE-partito contentarum, Ordine Aphabetico digestus: in quo prior numerus partem; secundus verò numerum marginalem designat.

A.

ABdicatio bonorum irretractabiliter non fit per testamentum. p. 4. n. 8.

Abdicare se bonis ex suppositione, quòd quis velit esse perfectus, est praecepti p. 4. n. 18. & 20. illud praeceptũ, per testamẽtum non impletur. ibid. n. 22.

Abdicare se bonis nemo tenetur ante ingressum religionis. p. 3. n. 27

Abdicatio aliquorũ Ecclesiasticorum bonorum prohibetur Scholarib⁹ Societatis. p. 4. n. 158

Abdicatio bonorum in Societate olim diutius differri solita. p. 4. n. 189

Abdicare se bonis suis, qua ratione quantocyus debeant Scholares Societatis. p. 4. n. 144 & seq.

Actus quidam habent vim priuandi dominio ex intrinseca natura, quidam ex ordinatione adiuncta p. 4. n. 21.

Actiones circa institutum Societatis à Gregorio XIII. in Bulla Ascendente Domino. *sub excommunicatione prohibita. p. 4. n. 247*

Ad acquirendum vel amittendum dominium quanam requirantur. p. 4. n. 198

Ad acquirendum & amittendum dominium capacitas & incapacitas, proxima & remota. ibidem & n. 199

Alphonsus Rodericius malè ab Auctore Epopseos intellectus. p. 2. n. 8

Annui prouentus rerum pertinentium ad Scholares Societatis, in causas pias impendẽdi. p. 4. n. 88

Articuli à Gregorio XIII. circa Societatis institutum decreti. p. 4. n. 242

Assertiones Epopte Societatis instituto contrariantes. p. 4. n. 243. & seqq

Auctor Epopseos non effugit excommunicationem. p. 4. n. 251. & seq

Academiarum de casu proposito iudicia. p. 5

Duacena, Helmstadiensis, Ingolstadiensis, Louaniensis, Pragensis, Rostochiensis. p. 5.

B.

Balsamum Indicum esse verum balsamum est certum. p. 2. n. 60.

Baldi locus enucleatur. p. 4. n. 11. & seq.

Beneficia non tenentur renunciare Scholares Societatis ante emissionem votorum simplicium. p. 1. n. 23. & seq.

Beneficium Ecclesiasticum possunt retinere Scholares Societatis. p. 1. n. 16

Bonorum distributio in Societate facienda intra prouinciam, in qua sunt. p. 1. n. 23

in Bonorum renunciatione à Scholaribus Societatis nulla pactiones ineunda, nisi informetur Generalis. p. 1. n. 23.

Bonorum distributio à Scholaribus Societatis qualis esse debeat secundum constitutiones Societatis. p 1. n. 62. ipsa non est bonorum Collegij in communi p. 1 n. 14. 25. p. 4. n. 168

Bonifacius VIII. pontifex de qua solemnitate egerit. p. 2. n. 33

Bonorum vt distributio differatur nulla causa postulantur. p. 3. n. 22.

Bonorum distributio 4. anno ab ingressu Societatis ordinariè facienda. p. 3. n. 23

Bonorum abdicatio in Societate cur differatur ausa cõmunes sunt. p. 3. n. 26. nulla peculiares, quales requiruntur ad dispensationem. p. 3. n. 22. & seq.

Beneficia nouitij non vacant durante nouitiatu p. 3. n. 27 & 28.

Bona sua erogare in pauperes tenetur ingressus Societatem, p. 4. n. 19

C.

Candidati Societatis non tenentur se abdicare bonis antequam viuere incipiant sub obedientia Societatis. p. 3. n. 20.

Canonici Regulares sunt Religiosi. p. 1. n 33

Cappucini nullius rei dominium habent. p. 1. n. 46

Censura contra impugnantes societatis institutum p. 1. n. 71

Coadiuter Societatis qui sit. p. 1. n. 8

Coadiutorũ vota priuant dominio. p. 1. n 56. priuant itẽ capacitate matrimonij & ciuilis obligationis p. 2. n. 22

Constitutiones Societatis non inualidant dispositiones Candidatorum etiam suâ naturâ retractabiles. p. 1. n. 61

Constitutiones societatis agentes de dominio Scholarium, non sunt obscuræ. p. 3. n. 12. & p. 4. n. 140

Concilium Tridentinum quid decreuerit de renunciationibus Nouitiorum p. 4. n. 16

Collegia

Consecrationis duplex genus. p.2.n.49.

Controuersia status explicatur.p.1.n.2.

A Contratio sensu argumẽtum quando procedat.p.4.n.99

In Curatore duo distingui possunt, persona & munus p.4. n.255

D.

Dispensatione non opus Scholari Societatis pro retinendo dominio.p.4.n.149.150.158.

Dispositiones irreuocabiles facta ànouitio Societatis in causas non pias sine consensu Superiorii an valeant.p.4.n.25

Verbum disponere quid significet.p.4.n.113

Disponere irrecuperabiliter & non reuocare testamentum, non sunt aequipollentia. p.4.n. 30.31.32.& 37

Distributio bonorum in pia opera ingressis Societatẽ est necessitatis quo ad substantiam, non quo ad tempus.p.4.n.39

Dispositiones factas ante ingressum Societatis reuocari nusquam prohibent constitutiones Societatis.p.4.n.47.

Disponere pro suo arbitratu de bonis suis, quemuis posse ante ingressum Societatis p.4.n.8

Debet verbum non semper importat necessitatem. p. 4. n.21

Dispensatione non est opus, vt Scholares Societatis dominium habeant.p.3.n.21. & p.4.n.150

Dispensare in aliquo iure diuino potest Pontifex.p.3.n.67

Disponere de bonis suis irrecuperabiliter nemo potest in alijs Ordinibus ante vndecimum mensem nouitiatus.p.3 n.27

Dominium non rectè diuiditur in actiuum & passiuum. p. 1.n.7

Dominium aliud in communi, aliud particulare.p.1.n.5 6.14.p.4.n.166. & seq.

Dominium particulare possunt habere Scholares Societatis p.1.n.11.ideò vt maiori cum libertate dimitti possint. ib.n.25. non est inutile & imaginariũ. p.1.n.49. & p.4.n.84

Dominio priuare vouentem non est de essentia voti paupertatis p.1.n.32

Dominio particulari bonorũ & non in communi abdicant se Scholares.p.3.n.13.14. & seqq.

Dominium abdicare per votum nemo potest sine adminiculo legis.p.1.n.65. & n. 32. & p. 2.n.37

Dominium per quos actus acquiratur, amittatur.p.4 n.198

Differentia inter votum & cõtractum humanũ. p.4.n.202

Domi-

Dominium non nudis pactis & conuentionibus, sed traditione vera vel ficta transfertur. p.4.n.122.126

Donationes facta in causas non pias ante ingressum Societatis non sunt irrita nec irritabiles ex hoc capite. p.4.n.40

Dominij priuationem non arguit impotentia renocandi testamentum & iterum testandi. p.4.n.54

Doctores antiqui agentes de votis, loquuntur secundùm ius commune p.1.n.63

Duacensis Academiæ responsum. p.5

E.

Episcopus religiosus qua ratione sit pauper. p.1.n.48

Epopsis à nullo Doctore subscripta p.3 n.11

Epoptæ responsiones ad rationes consultationis refelluntur, p.4 n.1 8. & seqq.

Epopta nihil respondet ad plurima argumenta, p.4.n.221

Affingit Authoribus, quæ ipsi nõ tradũt, p.3.n.7. ita & Cõstitutionibus Societatis, p.3.n.20

Erronea propositio quæ dicatur, p.2.n.51

Error Iuris non nocet in dãnis amittendæ rei suæ, p.4.n.137

Errores Epoptæ enumerantur, p.4.n.179. & seqq.

Excommunicatio Gregorij XIII. contra impugnatores instituti Societatis lata, p.4.n.236. & seqq.

F

Facti species recensetur, p.1 n 1

Francia Parlamenti Arresta p.5

G

Gregorius XIII. impugnantes Societatis institutum excõmunicat, p.4.n.242. & p.1.n.71. idem de qua solemnitate egerit. p.2.n.33

H

Hæretica propositio quæ sit, p.2.n 51.

Haius, Rodriquez & Mandosius malè citati in Epopsi, p.3 n.3. & seq.

Hæreditatis & legatorum testamento non inofficioso datorum par est ratio, p.4.n.52

Hæredes ante confirmatum testamentum nullum habent ius in bona, p.4.n.80

Hæres sola aditione seu acceptatione hæreditatis adit dominium bonorum defuncti, p.4.n.127

Helmstadiensis Academiæ responsum, p.5

I

Institutum Societatis differt ab aliorum Ordinum institutis, p. 4. n. 67

Interpretari Societatis Constitutiones non licet, nisi superioribus Societatis, p. 4. n. 245. aut nisi quantum verba sonant p. 4. n. 251

In continenti quid fieri dicatur, p. 4. n. 146 155. 162

Ingolstadiensis Academia responsum, p. 5

Iuris error, V. sup. Error Iuris

L

L. Artemidoram C. vt in possessio. Legat. qui explicetur, p. 4. n. 10. &

L. Captatoriis C. de mil. testam. p. 4 n. 107

L. illa institutio ff. de hered. inst. p. 3. n. 39

Liberum arbitrium non amittitur physicè per votum obedientiæ, p. 1. n. 59

Locus Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus &c quomodo intelligatur, p. 4. n. 18. & seqq.

Louaniensis Academia responsum p. 5

M

Molina malè intellectus ab Epopta, p. 4. n. 49. & seq.

Mori ciuiliter nemo Religiosorum dicitur quoad vsum causatum, p. 4. n. 93. secus quoad vsum independentem, p. 4. n. 91

Monasteria ingressi cum effectu, seu professi minuũtur capite & moriũtur ciuiliter, p. 4. n. 215

Monasterium qua ratione acquirat dominium & possessionem bonorum eius, qui illud ingressus est, p. 4. n. 214. & seq.

Minores de Obseruantia nullius rei dominium habent, p. 1. n. 46

N

Nouitius beneficium non vacat durante nouitiatu, p. 3. n. 27

Nouitius Societatis post primum annum potest cogi in vim promissionis initio ingressus facta, vt de suis bonis disponat, potest etiam iste si velit, validè disponere irrecuperabiliter de suis bonis, p. 4. n. 24

Testari validè etiam inscio Superiore, p. 4. n. 25

Non tamen licitè extra articulum mortis, ibid. n. 26

Vtrum verò alias dispositiones irreuocabiles sine Superioris consensu validè facere queat vid. ibid. n. 25. an licitè? n. 26

Aliorum Ordinum Nouitij non possunt cogi ante professionẽ, vt disponant de bonis suis vllo modo;

modo, ibid. n. 23

Nec ipsi validè renunciare bonu infra primos decem menses, ib. n. 25

Licet intra illud tempus validè testari possint, ibid. etiam licite, ibid. n. 26

P

Paupertas Scholarium, Coadiutorum ac Professorum in Societate differt, p. 1. n. 20

Paupertas quomodo seruetur à Scholaribus Societatis, p. 4. n. 66. & 79

Paupertatis votum seruant Scholares Societatu quoad vsum bonorum, p. 1. n. 26. & 42

Paupertatis voto non repugnat dominium Scholarium, p. 1. n. 31. nec ipsum priuat vouentē omni Iure & dominio ex iure diuino, p. 1. n. 32. & seqq. p. 2. n. 37.

Papa non potest dispensare, vt Monachus manens monachus sit liber à votis solemnibus p. 2. n 46

Papam solùm dispensare posse in votis Religionu, cōstat ex iure Ecclesiastico, p. 2. n. 47.

Papa in confirmanda Religione non potest errare, p 2. n. 54

Papa definiens vota simplicia Societatu esse substantialia religionu, non est secutus sententiā tantum probabilem, p. 2. n. 58. & seq.

Papa Decreto prescribenti quid sentiendum, citra errorem nemo dissentire potest, p. 2. n. 72

Papa definit multa, quæ solum habentur ex ratione naturali & discursu Theologico, p. 2. n. 73

Pacta dotalia sunt priuilegiata, p. 4. n. 16

Pactorum & testamentorum diuersa ratio, p. 4. n. 13

Parlamenti Francia Arresta, p. 5

Pensiones Ecclesiastica & beneficia à Scholaribus Societatis post vota simplicia possunt ad tempus retineri, p. 1. n. 21. 22

Petere principium quid sit, p. 4. n. 219

Perfectionis status qualem paupertatem exigat, p. 4. n. 66. non pugnat cum retentione dominij, p. 4. n. 79

Probationu nomine quid intelligatur in Constitutionibus Societatu, p. 1. n. 9

Probatio in Societate, quam diu duret, p. 3. n. 27

Professi Societatu habēt dominium in communi bonorum earum domorum, quarum mēbra sunt, p. 1. n. 11

Professa Societas est capax hereditatum ad effectum bona stabilia vendendi, p. 1. n. 46

Professa Societas non est capax legati annui etiam ad cultū diuinum, p. 1. n. 46

Professus de licentia Papæ testari potest, p. 4. n. 59 & 60. & p. 3. n. 34. & seq.

Parochi assistentia & duorum testium in matrimonio est tantum Iuris Ecclesiastici, p. 2. n. 53

Pragensis Academia responsum, p. 5

Proprietatis nomine quid intelligatur in c. cum ad monasterium de stat. monach. p. 1. n. 42

Protestatio an sit necessaria Religioso Societatis, vt dominiũ post vota retineat, p. 4. n. 125

Q

Qualitas peculiaris adiecta verbo, qui intelligẽda. p. 4. n. 52

Quantocyus quomodo intelligatur, v. sup. in lit. I. in continenti.

R

Ratio dicitur communis lex ad omnes casus, p. 3. n. 28

Religio potest esse, & religiosi particulares, qui tantum emittant vota simplicia, p. 1. n. 41. & p. 2. n. 9

Religioso magis nocet vsus peculij sine proprietate, quàm proprietas sine vsu, p. 4. n. 7

Religiosi non habent velle ac nolle, p. 4. n. 108

Rota Romana decisio, p. 1. n. 38. & p. 5

Religiosi antiqui capaces erant dominij, p. 1. n. 32. & seqq.

Religiosi status vnitas non consistit in inuariabili substantia & identitate votorum solemnium, p. 1. n. 44. & p. 4. n. 231

Religiosorum Ordinum diuersitas quo ad bona in communi, p. 1. n. 46

Religiosi priuantur dominio per vota solemnia, aut simplicia publica in Societate, p. 4. n. 211

Religiosi professi, Papæ licentia possunt testari, p. 4. n. 60

Retinere quid significet, p. 41 n. 251

Rostochiensis Academia responsum, p. 5

S

Scholaris vel Scholasticus quis intelligatur in Constitutionibus Societatis, p. 1. n. 8. retinet ad tempus dominium bonorum suorum. Synopsi §. 1. p. 1. n. 10. & seqq.

Scholares Societatis non nisi per professionem vel vota simplicia publica priuantur dominio in communi, p. 1. n. 14 & 23

Scholares Societatis faciunt contra votum paupertatis, si distribuant bona sine facultate Superioris, p. 1. n. 22

Scholasticus Societatis quo modo mortuus sit ciuiliter, p. 1. n. 43. & 51. p. 4. n. 90. iuncto 91. 93. 94

Sche-

Scholares Societatis esse verè religiosos, est de fide, p.2.n.54

Scholares Societatis retinere dominium, nullus auctor negat, p.3.n.3

Scholares Societatis si fuerint ante vota sua simplicia testati, & nihilominus retineāt dominium bonorum suorum, per vota non dicentur ex parte testati & ex parte intestati decedere, p.4.n.94

Solemnitas Professionis non consistit in ceremonijs externis, p.2.n.20

Solemnitas professionis in quibus consistat, p.2.n.23

Solemnitas votorum an & quomodo sit ex sola Ecclesiæ Constitutione, p.2.sect.1.n.1.& seqq. sect.2.n.8.& sect.3.n.8

Solemnitas votorum potest esse Iuris Ecclesiastici, etsi vota essent indispensabilia, p.2.n.45

Societatis institutum non est metiendum aliorum ordinum rationibus, p.4.n.67

Solemnitas votorum à Syluio allata reijcitur, p.2.n.30.& n.44

Sacri Ordinis valor nullam postulat solemnitatem Iuris Ecclesiastici, p.2.n.32

Societas est religio mendicās p.3.n.7. nec huic obstat, quod Scholares Societatis possideant bona in communi, p.3.n.3.7

Statim quid fieri dicatur, vide sup. incontinenti.

Statuto vel Consuetudine vtrum libera reuocandi testamentum potestas tolli possit, p.4.n.10.& seqq.

T

Testamentariæ dispositiones factæ ante ingressum Societatis validæ sunt, p.4.n.9. non tamē irreuocabiles p.4.n.49.& seqq. etiam post ingressum Societatis, p.4.n.22.n.100.102.

Testari possunt validè Nouitij in alijs Ordinibus etiam ante elapsos decem primos menses, p.4.n.25

Testamenta Nouitiorum Societatis facta sine consensu Superioris valent, ibid.

Testamēti factio est quidē vt plurimū vsus causalis dominij, p.4.n.54.59.& 61. tamē non semper, p.4.n.58.59. quomodo non possit dependere ab alterius arbitrio p.3.n.39.& p.4.n.106 & seq.

Testamentum ante factum nolens reuocare non est admittendus in Societatem, p.4.n.102

Testamenti factio sub dispositionis vocabulo comprehenditur p.4.n.113

Testamenti factionem habet Scholaris Societatis etiam post vota simplicia, p.4.n.75

Testa-

Testamentum Religiosi Soc. per ipsius vota non cõfirmatur, p.4.n.89

Traditio vera vel ficta quæ, p.4.n.122.

Tituli alij validi, alij inualidi ad transferendum dominium, p.4.n.1 6

V

Votum est lex priuata, quam vouens sibi ipsi indicit, p.1.n.28 32. Essentiale nihil aliud est, nisi promissio aliquid agendi vel omittendi, p.1.n.35.

Voluntas vltima Religiosorum seruanda, p.1.n.36

Votum solemne castitatis non necessariò priuat coniugatum iure exercendi copulam maritalem, p.1.n.36

Voti paupertatis essentia in quo consistat, p.1.n.43

Votum paupertatis non habet vim priuandi omni iure & dominio, p.1.n.31. nec illi repugnat rebus proprijs vti, non tanquam proprijs, p.1.n.54

Votum castitatis simplex in Societate reddit inhabiles matrimonio ex constitutione Ecclesiæ, p.1.n.55

Vota in Religione possunt esse inæqualia quoad accidentalia, p.46

Vota solemnia paupertatis, castitatis & obedientiæ quos effectus habeant, p.2.n.10

Votum substantiale religiosæ paupertatis quare consistat cum dominio radicali, p.2.n.74

Vota emissa durante biennio probationis in Societate non faciunt religiosum, p.4.n.161.

Voti paupertatis emissi à Scholaribus Societatis, quæ sit materia, p.4 n.201

Votum, licet frangatur, ex sua natura non irritat actum contrarium. p.4.n.203

Voluntas non solemnis, non est voluntas, p.4 n 135

Vsus inconcussus & obseruantia vniuersalis in Societate probat Dominiũ in Scholasticis, p.1 n.28 p.4.n.177. & seqq.

Vsus quid hic sit, p.4.n.82. 83. quotuplex. ibid.

Vsus bonorum temporalium independens à voluntate Superioris, repugnat voto Paupertatis. p.1.n.48. & p.5. in decis. rota

Vsus causalis & causatus; vsus iuris & facti qui sint, & quomodo illos habeant professi & Scholares Societatis, p.4.n. 62. 63. & n.82.83

Vsus formalis, p.4.n.87.

Coll. S.J. Paderb. 1667.

ER-

ERRATA. correcta

Errata grauiora			sic corrigenda.
Fol.	Lin.		
	In Synops fin.	sufficiens	insufficiens
27	13	ancta	Sancta
ibidem		Conclum	Concilium
33	8 à fin.	C.	c.
43	22	effectum	affectum
51	6	Testimonium	Testamentum
91	9. à fin.	hoc esse solum	& certum est
146	penult.	habere	haberet
157	19	Dominij	Domini
165	vlt.	uâ	suâ
166	26	ingredienti	ingredientis
180	22	infacetiarum	inficetiarum
301	21	Stationes	Assertiones
311	4 à fin.	iullas	necessarias
312	15	Curator istorum	Curator dum istorum.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mangi
orius

M I

Th
4820